Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Konrad Nahmmacher

M. Conr. Nahmmacheri Rectoris Scholae Helmstadiensis Et Coenobii Mariaevall. Svbprioris Institvtiones Stvdii Theologici

Rostochii Et Wismariae: Impensis Bergeri Et Boedneri, MDCCLVIII

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185211505X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

59

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185211505X/phys_0001
DFG

~~51. 16.~~

52. 9.

Za. — 3059.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185211505X/phys_0002
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn185211505X/phys_0003
DFG

433/35.

M. CONR. NAHMMACHERI
RECTORIS SCHOLAE HELMSTADIENSIS
ET COENOBII MARIAEVALL.
SVBPRIORIS

INSTITVTIONES STVDII THEOLOGICI

ROSTOCHII ET WISMARIAE
IMPENSIS BERGERI ET BOEDNERI
cIↃ IↃ cc LVIII

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185211505X/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

PRAEFATIO

Ad percipiendam magnam illam et insignem vtilitatem, quam adminicula theologica ei, qui Theologiam sanctam colit, afferre possunt, requiritur, vt eius cultor non vnum solummodo, sed singula, quae in principibus Theologiae adminiculis habentur, fideliter didicerit; eaque dextre etiam ad Theologiam transferat. Id vero, si secus fiat, id ipsum, quod alias Theologiae cognoscendae inseruit, eius faciem turbare, et damnum apportare ei, qui in Theologia addiscenda versatur, praepollet. Itaque primo cautio est adhibenda, vt ne, quando vni adminiculo Theologiae, cuius haud exiguus in ea vsus est, operam tuam commodas, idque in eadem iusta ratione vsurpas, propterea alterum studii theologici adminiculum, cuius tamen in Theologia vsus aeque late patet, con-

temnas idue reſpuas. In praecipuis diuinioris doctrinae cognoſcendae adminiculis procul dubio reponendae ſunt, Philologia, hiſtoria et Philoſophia. Iam qui ad ſtudium Philologiae et hiſtoriae incumbens, Philoſophiam neglexerit; ille in exegeticis quidem bono cum ſucceſſu verſari poterit; quod, quantumuis Philoſophia et ipſa in adminiculis Theologiae exegeticae eſt; Philologia tamen et hiſtoria, veluti primaria et praecipua eius adminicula eſſe videntur: in thetica vero et polemica non item; quod in illa pernoſcenda, ob propoſitionum argumentorumue ſtruem colligationemue philoſophicam; et in hac, propter exceptiones et obiectiones philoſophicas retundendas, neceſſarium omnino eſt, Philoſophia imbutum eſſe: quantumvis reliquorum Theologiae adminiculorum vſus, ad haſce etiam Theologiae partes manet ſeque diffundat. quamobrem

obrem Philosophiae neglectum, plerumque theticae etiam et polemicae Theologiae consideratio remissior consequi solet. Atque adeo ille, qui ita instituit, pro suggestu quidem oracula scripturae recte interpretari, sed non satis commode cum Philosophis dissentientibus agere poterit. Qui vero, quod Philosophiae studio deditus est, nec Philologiae, nec historiae operam dederit, ille in thetica quidem et polemicis, eo progredi intelligentiae poterit, quo peruenisse, satis Theologo esse, vt nunc sunt tempora, existimatur: sed in exegeticis recte versari et felices facere progressus minime poterit. quam ob caussam cum Philologiae et historiae nausea ac fastidio, non raro ipsius Theologiae exegeticae neglectio coniuncta est. Itaque poterit quidem ille, qui se talem gerit, in cathedra theologica docere, et quae-

ſtiones propoſitas probe differere ac diluere: enimuero praeconium verbi diuini, ita, quemadmodum e re eccleſiae Chriſti eſt, facere nullo modo poterit. At enim vero, qui et Philologiam hiſtoriamque, et Philoſophiam dedita opera coluit, ille in ſingulis diſciplinae diuinioris partibus verſari poterit proſpero cum ſucceſſu.

DEINDE vero cauto etiam opus eſt, vt ne adminicula ſtudii theologici inconſulte et ſiniſtre ad Theologiam traducantur. Philologiae eſt incauta ad Theologiam tranſlatio ac abuſus; ſi circa ſacrarum literarum ex Graecis et Latinis ſcriptoribus interpretationem et emendationem, id quod iuſtum eſt, (de quo MOSHEMIVS differit,) non obſeruetur: ac ſi quis in orationibus ſacris nimis frequenter criticas obſeruationes adferat; aut etymon vocis

Grae-

Graecae Hebraicaeue longa disquisitione grammatica euoluat. Historiae abvsus eo inest, si quis alieno in loco, vt in suggestu, quaedam ex his, quae apud scriptores profanos relata leguntur, adducat aut enarret. Itaque isti singuli, et si qui alii sunt Philologiae et historiae abusus, euitandi erunt per omnem modum et fugiendi. Philosophiae abvsum infra finiam.

PAVCI nunc in eo labuntur, vt neglecta Philosophia, in studio Philologiae et historiae operam et diligentiam consumant: nec multi etiam reperientur, qui inconsiderantiae in Philologia et historia ad Theologiam transferendis, argui possint. Contra ea autem complures, vnam Philosophiam, repudiatis reliquis Theologiae adminiculis, sectari, ac minus commode in Theologia vsurpare; eius rei docu-

mento sunt homiliae philosophicae, et parum ad interpretationem textus facientes, quae iam frequenter in concionibus sacris exaudiuntur. neque alia mali huius ingraueſcentis indicia desunt. Multi quidem eruditi viri, et in primis OPORINVS, hunc errorem notarunt: sed non potuerunt tamen extrahere eum aut euellere. In cuius rei cauſſis, praeter id, quod, propter Philologiam et hiſtoriam cognoſcendam continens eſt plurium annorum labor, quiue nihil habere iucunditatis et ſuauitatis exiſtimatur, ſuſcipiendus; eſt etiam hoc, quod plurimi, qui ad Theologiam accedunt, eamque colunt, non ſatis intelligunt, quaenam optima ſit Theologiae addiſcendae ratio: quis et qualis ſit vſus, quem quodque Theologiae adminiculum in theologicis habet; quemadmodum quodque tranſferri ad Theologiam debeat, quaeue damna cuiuſque

iusque in Theologia abusus det. Nam in ludis literarum nihil quicquam de ea re praecipitur. In Academia autem dum versantur Theologiae cultores, parum plerumque soliciti de studii theologici praeceptis, consuetudine a plurimis probata et exemplis, quorum magna est vis, se duci patiuntur: et, quod vident, nihil fere in Theologo desiderari et magnopere placere, quam vt philosophice agere de rebus theologicis possit, inde colligunt, ea re nunc absolui Theologiae studium; neque de necessitate esse, vt Theologiae cultor Philologiam etiam et historiam cognoscat. Iam ex his, qui studia academica exantlarunt, multi quidem, quando necessum habent studiorum suorum rationem reddere, vehementer dolent, se non alia ratione studium theologicum suscepisse: sed pauci tamen, vela retrorsum dare volunt; quod graue id ac perquam molestum esse videtur.

OPTANDVM omnino foret, vt iam in scholis prouectioribus, et qui Theologiae operam dare constituerunt, priuatim quaedam studii theologici praecepta ab suis magistris instillarentur; ipsisque ostenderetur, vt magnum vsum singula Theologiae adminicula, in ea cognoscenda habeant. quae tamen institutio omnis referenda ac attemperanda esset, ad captum et intelligentiam iuuenum. Eo enim videtur effici posse, vt iuuenes, vbi singulorum adminiculorum Theologiae vsum et necessitatem cognouerint, se etiam in his addiscendis praebeant alacriores; vtque deinceps haud facile ipsis persuaderi possit: in Theologiae cognoscendae adminiculis non esse; quae tamen sunt. Neque nullum praestare vsum posset, si etiam his, qui se dare studio Iurisprudentiae ac Medicinae volunt, iam in scholis ratio horum studiorum aliquanto exponeretur.

tur. Ita enim inanis illa persuasio, Graecae linguae cognitionem ad Iurisconsultum non pertinere, quae multos, dum in ludis literariis versantur, detinet, facile profligari poterat: si nimirum ipsis demonstraretur, multos esse textus in Corpore Iuris reperiundos, qui ex legibus SOLONIS interpretandi sint: et Nouellarum etiam maximam partem lingua Graecanica scriptam esse. vt iam de aliis commodis, quae ex isto instituto emergere poterant, nihil dicam.

QVVM vero iam in ludis nulla institutio studii theologici suscipiatur: auctor sim ei, qui sanctiorem disciplinam consequi vult, vt, quamprimum ad Academiam accesserit, praelectiones de studio theologico recte instituendo, exaudiat; et, si ne eius quidem occasio suppetat, ad minimum tamen aliquem de studio Theologiae librum industrius legat;

legat; vt ne et ipse, insciens quemadmodum studium Theologiae institui debeat, aliorum exemplis se pertrahi in Philologiae et historiae contemtum, ac abusum Philosophiae, patiatur. Atque in hunc vsum, qualecunque hoc scriptum de studio theologico, quod iam offero lectori beneuolo, comparare annisus sum. in quo, si quid forte mihi inuito exciderit, quod minus recte se habeat, id egomet, vt primum cognoverim, damnabo. Constitueram quidem apud me, superioribus iam nundinis Lipsiensibus huncce libellum foras dare; sed propeditus tum fui, quo minus extremam manum ei adiicere possem. quae res in caussa est, vt hoc in scripto, nulli ex libris his, qui proxime antecedentibus nundinis prodierunt, excitati sint. Scrib. Helmstadii Pridie Non. Septembr. A. R. S.

CIↃ IↃ CC LVIII.

CAPVT I

DE

PROPAEDEVMATIBVS THEOLOGIAE

ΣΥΝΟΨΙΣ

I. *Historia studii theologici breuiter proponitur*

II. *Recensentur libri potiores, in quibus de studio theologico agitur*

III. *De linguis, Hebraica, Chaldaica et Syriaca, addiscendis*

IIII. *De lingua Graeca*

V. *De lingua Latina, Gallica et Anglicana*

VI. *De studio Grammatices, Oratoriae, Poeseos, Criticae, antiquitatum Romanarum, Graecarum et Iudaicarum*

VII. *De historia vniuersali et ciuica, Chronologia, Geographia atque historia literaria*

VIII. *De Philosophia; speciatim de historia philosophica, de Logica, Metaphysica, Iure naturae, Ethica; vt et de Matheſi, Physica ac Philosophia ciuili*

VIIII. *De iusto Philosophiae in Theologia sancta vsu*

X. *De eiusdem in Theologia abusu*

XI. *Continet admonitiones de Philosophia dextre in theologicis vsurpanda*

XII. *Afferuntur admonitiones de solicite et prouide euitando Philosophiae in Theologia abusu*

I

STVDIVM theologicum potissimum reponitur in pernoscendis veritatibus, quae in sacra vtriusque instrumenti scriptura continentur; et in comparanda dexteritate, eas ad vtilitatem aliorum transferendi. Sunt vero in literis etiam et scientiis humanis

quaedam, quae tanquam adminicula ad Theologiam pertineant; quarumue cognitio intimior ad ſtudium theologicum tranſferenda ſit. Praecipuae in his ſunt Philologia, Hiſtoria et Philoſophia: quoniam vſus earum multus eſt omni in Theologia et varius. Ante autem quam de his agam, quaedam de fatis ſtudii theologici, deque eius ſcriptoribus praefabor. Iam a Chriſtianiſmi inde exordio aliqua inſtitutio eorum, qui praecones verbi diuini agere vellent, ſuſcepta eſt. De ea enim inſtitutione PAVLLI verba videntur accipienda eſſe, quibus TIMOTHEO, quem ipſe inſtituerat praecipit, vt traditam ab ſe doctrinam πιστοῖς committat ἀνθρώποις (a), qui alios ſanctiori in doctrina inſtituant. Epheſi IOANNES Apoſtolus, Smyrnae POLYCARPVS, ſcholas ad inſtituendum clericos iuuenes aperuerunt. Inprimis Alexandriae Theologia ſancta, vna cum literis humanioribus, culta fuit. De ſchola enim ſacrarum literarum, quae ibi habita eſt, EVSEBIVS accepit, eam *ab hominibus cum politiore doctrina et eloquentia mire inſtru-*

(a) 2 TIM. II, 2. Conſentit omnino ea cum interpretatione loquela διδακτικος, quam PAVLLVS in recenſendis requiſitis eccleſiae doctoris vſurpauit, 1 TIM. III, 2: ea enim ille, *qui aptus eſt aliis inſtituendis*, vt IACOBVS TIRINVS monet, indigitatur

instructis; tum sacrarum literarum studio probe exercitatis frequentatam esse (b). Vnde colligere est, adultiores et solidiorem doctrinam aspirantes, in ea fuisse institutos. Neque tamen negauerim, certis etiam quibusdam horis tenellam aetatem rudimenta Christianismi ibidem edoctam esse: quod nimirum Alexandrina haec schola catechetica conuocata est. Fuerunt autem ibi subinde a MARCO Euangelista, qui eam condidisse dicitur, ecclesiastici doctores insignes; veluti PANTAENVS, CLEMENS, ORIGENES, HERACLA, DIONYSIVS, PIERIVS ac DIDYMVS. Alia fuit schola Caesareae Palaestinae; in qua et ipsa Theologia, vna cum literis mansuetioribus, tradita est: et praecipue quidem ab ORIGENE, qui Alexandria eiectus eo se recepit. Diuinioribus ibi et humanioribus literis operam nauarunt BASILIVS magnus, qui deinde ad Constantinopolitanam scholam abiit, et GREGORIVS Nazianzenus. Deinde et aliae eiusmodi scholae, in principibus oppidis

 insti-

(b) In *historia ecclesiastica libro V.* Fuit autem ibi museum inambulacra habens, exedras et domum magnam. cuius institutio ad PTOLOMAEVM PHILADELPHVM refertur. Vid. Celeberrimi GEORG. GOTHOFR. KEVFFELII *historia originis ac progressus scholarum inter Christianos, par. IIII, p. 17, seq.*

institutae fuerunt. Iam attingendum erit, quae fuerit, in his primorum saeculorum scholis, ratio Theologiae addiscendae. Ac vniuerse priscos solitos fuisse cum studio Theologiae, studium literarum humanitatis coniungere, inde intelligitur, quod in scholis literarum sacrarum, bonae etiam literae traditae sunt. Polemica autem potissimum Theologia videtur fuisse, cui operam istarum scholarum alumni dederint: quod hisce temporibus subinde disceptatum fuit cum deastricolis eorumque Philosophis; item cum Iudaeis et aliis hominibus pestiferis opinionibus corruptis. Culta etiam est tum Theologia exegetica. Saeculo quinto, quo Heruli et Gothi irruptionem in Italiam fecerunt, ibi noua scholas theologicas habendi ratio emersit. Nempe Presbyteri in paroeciis, (ita enim videtur scribendum esse,) constituti, lectores iuuenes suam in domum recipiebant; eosque in praelegendo ex pulpito literas sacras; in parando carmina diuina et in lege Dei, erudiebant. quod institutum etiam Gallis se probauit. Ex eo autem tempore, obliteratis bonis literis, grauis etiam in theologicis inscitia consequuta est. Saeculo nouo monasticae scholae, quarum origo ad saeculum sextum referri solet, auspiciis CAROLI magni et consilio ALCVINI, in omnibus fere monasteriis comparatae sunt. Erant illae partim inter-

internae, vel coenobii scholae, partim externae, siue canonicae. In illis solummodo ii instituebantur, qui vitam agere monasticam vellent. in quorum gratiam primo videntur apertae esse. In his vero aliorum iuuenum studia aemulantium coetus habiti sunt. Ratione institutionis etiam monasticae scholae non vnius erant generis. Vnde in minores et maiores dispesci solent. In illis alumni Grammatices praeceptis imbuebantur; symbolum fidei, orationem dominicam et rationem distinguendi tempora addiscebant: inprimis vero notas, cantus et psalmos docebantur: quod CAROLO magno mens erat Gallicum canendi modum ad Romanum attemperare. In maioribus, quas cordatiores sua sponte videntur aperuisse, triuium potissimum, id est Grammatica, Rhetorica et Dialectica, proponebatur; vt et quadriuium, id est Arithmetica, Geometria, Musica et Astronomia. multi tamen vltra triuium non assurgebant: diuinae literae tradebantur; et ALCVINVS suis scriptionibus ansam videtur dedisse, vt dogmata etiam Theologiae in hisce scholis qualicunque modo exponi coeperint. Hoc ipso saeculo Episcopales etiam ludi aperti sunt; et quidem eodem CAROLO auctore. qui voluit, in his sacrae scripturae documenta eum in modum tradi, vt tales inde euaderent ecclesiae doctores, qui sal terrae dici mererentur; qui-

ue Antichristo sua dexteritate resisterent. quemadmodum ex sexto canone concilii Cabilonensis secundi, anno IↃCCCXIII habiti, intelligitur. Sed euentus, ei quod CAROLVS voluerat, minime respondit: complures enim Episcopi negligentes ea in re erant. Sunt etiam ipsi sacrorum ministri, propter supinam ignorantiam iussi, vt se quisque ad suum Episcopum discendi gratia conferret. Vndecimo saeculo, quum Dialectica, quae non solum Logicam, sed et Metaphysicam ex parte comprehendebat, magis excoleretur, factum est, vt plerique quaestionibus Logicis et Metaphysicis cognoscendis aetatem consumerent. quod studio Theologiae magno fuit impedimento. Saeculo duodecimo maiores scholae coeuntibus passim viris doctis institutae sunt. vnde repetenda est Academiarum origo. Prima in his est Parisiensis Academia. quae efflоruit saeculo decimo tertio: quantumuis enim Parisiensis schola iam integro saeculo duodecimo literarum studiis nobilitata fuit; tamen hoc demum saeculo Decani et Cancellarius dicti sunt: collegium Theologorum ab ROB. DE SORBONA ordinatum est; ac Magistri et Doctoris honos collatus est petentibus. Quoniam vero sola facultas philosophica primo Parisiis dicitur vsu recepta fuisse; etiam hodie Rector subin-

ſubinde ex Philoſophis legitur (c). Ad Pariſienſem proxime accedit Oxonienſis apud Anglos Academia. Deinceps aliae Academiae fundatae ſunt ac dedicatae. Itaque ab ſaeculo inde decimo tertio Theologia in auditionibus academicis propoſita eſt. Diſpeſcebantur autem tum Theologi in ſcholaſticos, biblicos et myſticos. Scholaſtici LOMBARDVM magiſtrum ſententiarum conſequebantur; et omnem cum Theologia Philoſophiam miſcebant. Biblici non quidem reiiciebant LOMBARDI ſcripta: ſed potiſſimum tamen in interpretanda ſcriptura ſacra, et ipſis eccleſiae Patribus legendis occupati erant; commiſtionemque Philoſophiae cum Theologia euitabant. Myſtici autem morali potiſſimum Theologiae ſtudium ſuum et operam commodabant, et exigebant inprimis internam illuminationem. de quorum diuerſitate infra dicam. Enimuero, quo magis indies creſceret ſcholaſticorum numerus, eo pauciores biblici et myſtici reperti ſunt. Saeculo decimo ſexto magnus LVTHERVS melioris condicionis ſtudii theologici auctor exſtitit: dum nimirum ſuſtulit Philoſophiae cum Theologia commiſtionem, ab ſcholaſticis

(c) Excitat ea de re IO. FILESACI verba HERM. CONRINGIVS in *antiquitatibus academicis, diſſert. III, par. XI, p. 84 et 85.*

ſuſcepram. Auream etiam ille regulam ex Pſalmo CXVIIII concinnauit. cuius regulae tenor eſt hic: Theologum *oratione*, *meditatione*, et ita ſe in *tentatione* gerendo vt Chriſtianiſmus exigit, perfici. Ea tamen non vnice ad eos, qui ſtudium theologicum conſequuntur, ſed ad omnes omnino Chriſtianos ſpectat. Poſt LVTHERVM nonnulli denuo commiſtionem Philoſophiae et Theologiae reuelatae moliti ſunt: alii vero iuſtum et legitimum Philoſophiae in Theologia vſum obſeruantes, multum inde in ſtudio theologico vtilitatis reportarunt. Succedente etiam tempore aliae atque aliae Theologiae partes ſeparatim exponi coeptae ſunt

II

VARIA de Theologiae addiſcendae methodo ſcripta ſuppetunt: vt IOANNIS GERHARDI *methodus ſtudii theologici*, *publicis praelectionibus in Academia Wittebergenſi anno* cIↃ IↃC XVII *expoſita*, Ienae cIↃ IↃC XXII: IO. HVLSEMANNI *methodus ſtudii theologici*, *in priuatum quorundam vſum conſcripta*, Wittebergae cIↃ IↃC XXXV. in qua editione, in aliis ſcriptis, LEONHARDI etiam HVTTERI ac BALTHASARIS MEISNERI *conſilia de ſtudio theologico et lectione biblica recte inſtituendis*, reperies. Recuſus eſt ille liber anno cIↃ IↃC LXXI. ABRAHAMI CALO-

CALOVII *paedia theologica de methodo ſtudii theologici, pie, dextre, feliciter tractandi*, Wittebergae cIↃ IↃ C LII: AVG. HERM. FRANKII *methodus ſtudii theologici*, Halae cIↃ IↃCCXXIII: IO. LAVR. MOSHEMII *kurze Anweiſung, die Gottesgelahrtheit vernünftig zu erlernen*; quam edidit CHRIST. ERNESTVS WINDHEIM, Helmſtadii cIↃ IↃ CC LVI. Atque ille liber terſus eſt et longe vtiliſſimus. IO. SALOM. SEMLERI *Verſuch einer nähern Anleitung zu nützlichem Fleiſſe in der ganzen Gottesgelahrſamkeit*, Halae cIↃ IↃ CC LVII. Maius volumen de ſtudio theologico daturus fuiſſet GEORGIVS CALIXTVS quam eius *apparatus* eſt, Helmſtadii cIↃ IↃC XCI editus, niſi morte propeditus fuiſſet. Deſiderat autem in hoc, qui ei debetur apparatu plurima CALOVIVS. In Reformatae eccleſiae doctoribus, *de Theologo, ſeu de ratione ſtudii theologici*, libros quatuor ſcripſit ANDREAS GERHARDVS Hyperius ciuis, Baſileae cIↃ IↃ LXXI. IO. HENRICVS HEIDEGGER etiam *libellum de ratione ſtudii theologici* Tiguri cIↃ IↃ C LXX dedit. Ex libris Pontificiorum huc potiſſimum ſpectat DESID. ERASMI *ratio, ſiue methodus in compendio perueniendi ad veram Theologiam*. quae ſeparatim prodiit, cum diſſertatione HALLBAVERI *de ſcriptoribus methodorum Theologiam tractandi*, Ie-

nae cIↃ IↃcc XXIIII: LVDOVICI ELLIES DV PIN *methodus ſtudii theologici recte inſtituendi*; quem librum ex Gallico in Latinum ſermonem tranſtulit IO. MART. CHRISTELL Auguſtae Vindelicorum cIↃ IↃcc XXII (d)

III

HEBRAICAE linguae, vt ab hac ordiar, cognitione, nemo poteſt, qui ipſis e fontibus diuina oracula haurire volet, carere. Itaque de neceſſitate eſt, eius addiſcendae conſilium inire: addit ANDR. GERHARDVS Hyperius excellentiam eius atque facilitatem. Neque adeo audiendi CONRINGIVS, HORNEIVS atque CALIXTVS, qui eius neceſſitatem aliquanto eleuare ſunt anniſi. Fieri enim facile poteſt, vt in ſiniſtras aliquando ſcripturae inter-

(d) Plures de ſtudio theologico ſcriptores IO. FRANCISCVS BVDDEVS in *iſagoge hiſtorico-theologica ad Theologiam vniuerſam ſingulaſque eius partes, lib. I, par. II, p. 4, ſeq.* commemorauit; atque monuit inſuper, parum conſiderate his AVGVSTINVM et GREGORIVM Nazianzenum annumerari. Adde CHRISTOPH. MATTHIAM PFAFFIVM in *introductione ad hiſtoriam Theologiae literariam, prolegom. par. VI, p. 44, ſeq.* IO. CHRIST. DORNIVM in *bibliotheca critica, lib. II, cap. III, p. 215, ſeq.* atque IO. GEORG. WALCHIVM in *bibliotheca theologica ſelecta literariis annotationibus inſtructa, cap. I, p. 1, ſeq.*

interpretationes incidat ille, qui rudis literarum Hebraicarum ad eam interpretandam accedit. quod quibusdam etiam ecclesiae doctoribus euenit; vtpote qui etymon vocis πάσχα in πάσχω *patior* sibi reperiisse visi sunt: quum tamen in Hebraico פסח *transiit* contineatur. Vt vero vniuerse necessum est callere linguam Hebraicam, propter lectionem et interpretationem veteris testamenti Hebraice scripti: ita speciatim corruptam Rabbinicamue Hebraice scribendi rationem nouisse, multi est in Theologia vsus: propter Talmudi nimirum et Rabbinicorum scriptorum lectionem. Nam ex his ritus et antiquitates Iudaeorum optime cognosci, et multa hinc ad scripturae interpretationem transferri possunt. Pessime autem sibi consulunt, qui demum in Academiis, huic linguae operam commodandam esse putant: inde enim fit, vt, addiscendorum vocabulorum pertaesi, prorsus plerumque eam negligant. Contra, qui ineunte statim aetate praecipua Hebraicae linguae praecepta imis reposuerunt sensibus; et quoquo die aliquod ex scriptura pensum, consideratis singulis loquelis, conuerterunt; eo sensim et veluti aliud agendo, intelligentiae progrediuntur, vt nec iusta destituti sint vocabulorum copia: nec aqua ipsis in formis arduis haereat. Rudimenta linguae Hebraeae discere

poteris

poteris ex HERMANNI VON DER HARDT *breuibus et solidis Hebraicae linguae fundamentis*: nisi magis tibi arriserit Grammatica TROSTII, aut SCHICKARDI, OPITII, MICHAELIS, aut DANZII compendium a ZOPFIO editum. Deinde suaserim, vt legas MATTHIAE WASMVTHI *Hebraismum facilitati et integritati suae restitutum*, qui ab OPITIO editus est, Kilonii clɔ Iɔcc XIIII: vel etiam IO. ANDR. DANZII *Literatorem Hebraeo-Chaldaeum*, excusum Ienae clɔ Iɔcc XLVI. In lectione ipsa poteris quidem primo CHRISTIANI REINECCII *ianuam Hebraeae linguae*, editam Lipsiae clɔ Iɔcc XLVIII, vsurpare: sed magis consultum erit, statim manuale lexicon adhibuisse: vt IO. BVXTORFII *lexicon Hebraicum et Chaldaicum*: IOS. HENR. OPITII *lexicon Hebraeo-Chaldaeo-biblicum*, Hamburgi clɔ Iɔcc XXVI expressum; siue PAVL. MART. ALBERTI *portam linguae sanctae*, editam Budissae clɔ Iɔcc IIII. In explorandis diuersis loquelarum Hebraicarum in scriptura significationibus, euoluere poteris CHRIST. STOCKII *clauem linguae sanctae veteris testamenti*, cura IO. FRID. FISCHERI emissam Lipsiae clɔ Iɔcc LIII. vbi etiam eiusdem *clauis noui testamenti* antecedenti anno typis exscripta fuerat. Magnae etiam vtilitatis est *Chaldaicam* callere linguam: tum

tum quod nonnullae veteris instrumenti ῥῆσεις Chaldaico idiomate exaratae sunt: tum propter legendas paraphrases Chaldaicas siue Targumim, quae, si a DANIELE, ESRA, et NEHEMIA discesseris, in omnes veteris testamenti libros compositae sunt. Praecepta linguae Chaldaicae HENR. OPITIVS in *Chaldaismo Targumico-Rabbinico*, Kilonii cIↃ IↃC LXXXII, tradidit. Operae etiam pretium fuerit, *Syriacae* linguae addiscendae aliquantum temporis impendisse: quod duplex suppetit veteris testamenti versio Syriaca; altera comparata ad versionem Graecam τῶν LXX; altera ad textum Hebraeum: vt et conuersio noui testamenti Syriaca. Institutiones huius linguae HENR. OPITIVS suppeditauit in *Syriasmo* Lipsiae cIↃ IↃC XCI. Reliquarum linguarum Orientalium vsus in Theologia, non quidem nullus est, sed tantus tamen esse non videtur; vt propterea consultum sit, iis addiscendis multum temporis insumere

IIII

GRAECANICAE linguae gnarus Theologus esse debet (e); quod nouum testamentum

(e) BVDDEVS BARONII in exemplo ostendit, Theologum cognitione linguae Graecae destitutum esse non debere. Nam ille in *martyrologio Roma-*

tum ea lingua exaratum est. Habet autem eius cognitio etiam hunc in Theologia vsum, vt legere possis conuersionem Graecam τῶν LXX, quae iam A. M. cIↃ cIↃ cIↃ IↃC XCVIIII videtur composita esse; quamue CHRISTVS etiam et Apostoli in excitandis veteris testamenti locis, nonnunquam videntur respexisse. Praeter haec eo facit, vt legere PHILONEM, IOSEPHVM et Patrum ecclesiae Graecae scriptiones possis. Mature autem auspicandum linguae Graecae studium: ac quando quis ex WELLERI, Celeberr. MILLERI, aliaue Grammatica eius rudimenta cognouerit, vberiorem etiam Grammaticam, vt N. CLENARDI *institutiones et meditationes in Graecam linguam*, Francofurti cIↃ IↃ XC euulgatas, pertractasse iuuabit. Deinde legi poterit IO. MATTHIAE GESNERI *Chrestomathia Graeca*, Lipsiae cIↃ IↃCC XLII excusa; ipsique etiam scriptores Graeci adeundi. Vt multa vero ex profanis scriptoribus peti et transferri ad diuiniores noui testamenti literas possint, quibus earum interpretatio adiuuetur, et castus stili demonstretur,

Romano ad *diem XXIIII Ianuarii, p. 48*, ex voce Graeca ξυνωρὶς, quae significat *biiuges equos*, quendam martyrem *Xynoridem* confinxit. Vid. BVDDEI *isagoge*, *lib. I*, *cap. IIII*, *par. V*, *p. 117.*

tur, qui in eis obtinet; intelliges ex LAMBERTI BOS *diatribis, siue exercitationibus philologicis, quibus noui foederis loca nonnulla e profanis auctoribus illustrantur*, Franeckerae cIↃ IↃ CC XIII: ex GEORGII RAPHELII *annotationibus philologicis in nouum testamentum ex* XENOPHONTE, Hamburgi cIↃ IↃ CC VIIII: ex eiusdem *annotationibus in nouum Testamentum ex* POLYBIO *et* ARIANO collectis, ibidem cIↃ IↃ CC XL; aliisque eiusmodi scriptionibus

V

LATINE doctum esse Theologum oportet, siue qua Theologus spectetur; libraria enim Theologorum suppellex magnam partem Latinis libris constat: siue qua eruditus consideretur; namque Latina lingua subinde veluti domestica ac vernacula doctorum hominum lingua fuit (f). Qui itaque studium Theologicum consequi vult, non acquiescet in vulgari Grammatices compendio: pertractabit etiam IO. GOTTL. HEINECCII *fundamenta stili cultioris*, quibus annotationes adiecit IO. MATTHIAS

(f) De quaestione, vtrum consultum sit Latinae linguae inter eruditos vsum antiquare, vide *das Hamburgische Magazin, des ersten Bandes erstes Stück, p. 77, seq.*

THIAS GESNER, Lipsiae cIↃ IↃ CC XLIIII. Poterit etiam deinde pergere ad lectionem MINERVAE FRANC. SANCTII. qui liber cum additionibus CASP. SCIOPPII et notis IAC. PERIZONII editus est Amstelodami cIↃ IↃCC LII: ac euoluere insuper GERH. IO. VOSSII *Aristarchum, siue libros septem de arte Grammatica*, Amstelodami cIↃ IↃ C LXII. Inprimis autem ipsi purae Latinitatis scriptores legendi erunt. *Gallica* etiam lingua eo nomine Theologo commendanda, quod eius vsus vbique inualuit et varia scripta Gallicum idioma praeferunt. Nec *Anglicanae* linguae perdiscendae occasio, e manibus emittenda erit: honori enim cedit Theologo eam non ignorasse. Ipsi autem libri Anglice scripti rariores sunt; et in paucis tabernis reperiuntur. Plurimorum vero conuersiones Theotiscae suppetunt. Ac vniuerse recentiores multi sunt in commendandis Anglorum scriptis. Nec praeter rem: ea enim plurimam partem et ingenii aciem produnt; et varia etiam doctrina instructa sunt. Sed dolendum, istam commendationem sinistre a multis accipi. Sunt enim, qui, quamprimum Theologiam colere coeperunt, statim se totos, missis nostratibus, ad legendos imitandosque Anglos componant: vnde fit, vt multa ex his decerpta, parum caute ad nostram ecclesiam transferant.

Vt

Vt itaque, citra sanctae Lutheranorum doctrinae dispendium, ista lectio fiat; suasor sim, vt ne quis ad Anglorum in theologicis lectionem se accingat; antequam praecipuas Theologiae partes, e nostratium scriptis comprehenderit animo. Quoniam αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, subactum Theologia animum, ea lectio requirit; vt ne verborum te lenociniis capi et implicari, in iis, in quibus a nobis dissentiunt, patiare. Ceterum patet per se, vt cuiusque est eruditi, ita etiam Theologi esse, vt Theotiscam linguam perpoliat; nec dicendi genere abiecto, et ab omni ornatu alieno, vtatur

VI

Vt vniuerse in his, quas commemorauí linguis, versatum esse Theologiae alumnum expedit; ita singulae etiam *Philologiae* (g), (qua artes sermonis formatrices continentur,) partes ad Theologum pertinent. Iam *Grammatica*, quae

(g) Vt praegnans sit Philologiae nomen; vtue olim late fuerit sumtum, inde colligitur, quod ATTEIVS *Philologi appellationem assumsisse videtur: quia sicut* ERATOSTHENES, *qui primus hoc cognomen sibi vindicauit, multiplici variaque doctrina censebatur.* vt refert C. SVETONIVS TRANQVILLVS, in *lib. de illustr. Grammaticis, cap. X, p. 711,* ed. Traiecti ad Rhen. clo Ioc vii.

quae in his est, vt insignem in theologicis vsum habeat, Magnifici et Summe Venerabilis Viri IO. BENEDICTI CARPZOVII *prolusio de interprete sacrae scripturae Grammatico* loquitur. *Rhetorica*, quae docet eloquentiae comparandae rationem, propter hanc caussam in Theologiae propaedeumatibus habenda est: quod et tropi et figurae sacris in pandectis occurrunt. *Initia* eius IO. AVG. ERNESTI Lipsiae cIↃ IↃ CC L dedit; ac *primas lineas artis oratoriae* IO. MATTH. GESNERVS edidit Ienae cIↃ IↃCC LIII. Sacram vero et Grammaticam et Rhetoricam SALOMO GLASSIVS conscripsit. cuius Philologiam in hermeneuticae scriptis recensebo. Est etiam in Philologiae partibus *Poesis*. Atque eius vsus in theologicis videtur esse hic, vt interpretationem librorum sacrae scripturae poeticorum, multis in locis, aliquanto reddat faciliorem. Porro *Critica*, quae est *ars intelligendorum*, vt CLERICVS finit, *veterum scriptorum, et dignoscendi, quaenam eorum genuina scripta sint, quae spuria*, et ipsa in Theologiae est praecognitis reputanda: in diiudicandis enim codicibus sacrae scripturae manuscriptis, rel. magna eius vtilitas est. Poteris eam cognoscere ex IOANNIS CLERICI *arte critica, qua ad studium linguarum Latinae, Graecae et Hebraicae via munitur; veterumque emendandorum,*

dorum, spuriorum scriptorum a genuinis dignoscendorum, et iudicandi de eorum libris ratio traditur, voluminibus III, Amstelodami cIↃ IↃ cc xxx. Est autem in hoc huius Arminiani libro legendo, admodum prouidenter versandum, vt ne eiusdem naeuos captes. Notauit quosdam ex eis IO. HENR. MAIVS in *introductione ad studium philologicum criticum et exegeticum*; quae subiecta est eius *examini historiae criticae textus noui testamenti* RICHARDI SIMONII, editi Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc VIII. Alios libros criticos, qui ad Theologum potissimum spectant, infra in his, qui historiam hermeneuticae comprehendunt, adferam. *Literarum humaniorum* nomine, quod latissime patet, praeter ea quae iam commemoraui, *antiquitates* etiam omnis generis continentur. Theologiae inseruiunt *Romanae* antiquitates, quas PETR. IOS. CANTELIVS in libro *de Romana republica*, Vltraiecti cIↃ IↃ C LXXXVIII breuiter enarrauit; vt et G. H. NIEVPOORT, quem GESNERVS edidit Berolini cIↃ IↃCC LI. Locupletissimam vero antiquitatum Romanarum collectionem dederunt, IO. GEORG. GRAEVIVS in *thesauro antiquitatum et historiarum Italiae*, ab anno cIↃ IↃC XCIIII vsque cIↃ IↃ C XCVIII; et ALB. HENR. DE SALENGRE in *nouo thesauro antiquitatum Romanarum*, Hagae Comitum cIↃ IↃ cc XVI

vsque cIↃ IↃ cc xxiiii. *Graecae* item antiquitates adiumento sunt Theologiam colenti. Succincte eas interpretati sunt IO. GODOFR. LACKEMACHER in *antiquitatibus sacris Graecorum*, Helmstadii cIↃ IↃ cc xxxiiii; CHRISTIANVS ERVNING in *compendio antiquitatum Graecarum*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc xlv. Plurima vero de Graecis antiquitatibus scripta congessit IAC. GRONOVIVS in *thesauro Graecarum antiquitatum*, Lugduni Batauorum cIↃ IↃ c xcvii vsque cIↃ IↃ cc iii edito. Inprimis vero antiquitates *Iudaeorum*. quae etiam, qua ex scriptura cognoscuntur, ad ipsam Theologiam referendae sunt, et in historia ecclesiastica veteris testamenti traduntur. In compendiis antiquitatum Iudaicarum breuissimis sunt CAROLI ANTONII *tabulae antiquitatum Hebraicarum*, Helmstadii cIↃ IↃ cc liiii: in plenioribus HADRIANI RELANDI *antiquitates sacrae veterum Hebraeorum*, cum praefatione EVDDEI, Lipsiae cIↃ IↃ cc xxiiii. In libris maioribus eminent, IOANNIS LVNDII *alte Iüdische Heiligthümer*, Hamburgi cIↃ IↃ c xcv; et IO. GOTTL. CARPZOVII, consummati Theologi, *apparatus historico-criticus antiquitatum sacri codicis et gentis Hebraeae, vberrimis annotationibus in* THOMAE GOODWINI MOSEN *et* AARONEM, Lipsiae cIↃ IↃ cc xliii.

VII

HISTORIA vniuersalis et ciuica, est et ipsa in Theologiae adminiculis: quod in multis scripturae locis, ea quae gesta sunt in Asia, Africa et apud Romanos attinguntur partim, partim respiciuntur. In compendiis historiae vniuersalis, praeter ZOPFIVM commendauerim IAC. BENIGNI BOSSVETI *discours sur l'histoire vniverselle*; cuius conuersio Teutonica hoc habet inscriptum: *Einleitung in die allgemeine Weltgeschichte bis auf Kaiser CARL den grossen, für den ehemaligen Dauphin, und mit historischen - critischen Abhandlungen vermehrt von* IOHANN ANDR. CRAMER, Lipsiae cIↃ IↃCCXLVIII. Legendum deinceps DIONYSII *Petauii rationarium temporum*, tribus tomis excusum Lugduni Batauorum cIↃ IↃCCXLV. Insignis etiam liber est, CAROLI ROLLINI Galli *Historie alter Zeiten und Völker*, partibus XIII. quae conuersio edita est Dresdae cIↃ IↃ CC XXXVIII vsque cIↃ IↃ CC XLVI. Continuatio eius hunc ad modum inscripta est: *Neuere Geschichte der Chineser, Japaner, Indianer, Persianer, Türken und Russen*, cet. *als eine Fortsetzung von ROLLINS ältern Geschichte*. cuius iam duae partes Berolini prodierunt. Suppetit etiam ROLLINI *Rœmische Historie*, partibus

bus VI Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXVIIII vsque cIↃ-IↃ CC LII. Omnes autem alios historiae vniuersalis libros, post se relinquit, *die Uebersetzung der algemeinen Welthistorie, die in Engeland durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertiget worden, und mit häufigen Anmerkungen vermehrt von SIEGMVND JACOB BAVMGARTEN.* cuius conuersionis ab anno inde cIↃ IↃ CC XLVI vsque cIↃ IↃ CC LVI Halae prodierunt partes XVI: continuet autem eam IO. SAM. SEMLER. Inprimis *Chronologiae* in historicis habenda est ratio. Atque de ea emendanda optime meritus est IOSEPHVS SCALIGER, IVLII CAESARIS filius, in *opere de emendatione temporum*, Coloniae Allobrogum cIↃ IↃ C-XXVIIII. Scripturae sacrae Chronologiam optime tradidit IACOBVS VSSERIVS in *annalibus veteris et noui testamenti, una cum rerum Asiaticarum et Aegyptiacarum chronico*, Geneuae cIↃ-IↃ CC XXII. Intime cum historia coniuncta est Genealogia, quae de gentibus siue familiis celebribus agit. Atque ea etiam, qua de gentibus exponit, quae et in scriptura commemorantur; aut de quibus aliquid in historia ecclesiastica occurrit, quemdam omnino in Theologia vsum habet. Solent autem praecipua Genealogiae in ipsa historia tradi. Ex monumentis quoque et numis, vt speciatim in antiquitatibus, ita in vniuersa-

versali etiam historia multa sunt repetenda et confirmanda: quare si cui vacat, non inutilem his cognoscendis operam dabit. *Geographia*, vt ad hanc pergam, quasi oculus historiae est. Iam, quum et loci plurimi et itinera sacris in pandectis commemorentur; patet inde, esse omnino e re Theologi, tum veterem, tum nouam Geographiam nosse: illam, vt situm locorum, quae in scriptura commemorantur, cognoscat: hanc, vt ostendere possit, quae hodie eorum condicio sit; aut quemadmodum nunc quisque terrarum tractus dicatur, in quo sita fuerunt. Compendium Geographiae dedit IO. GEORGIVS HAGER; eamque fusius etiam proposuit *in der ausführlichen Geographie*, Chemnicii cIↃ IↃ CCLI. Item ANT. FRID. BVSCHING in *der neuen Erdbeschreibung*. cuius libri prima et secunda partes prodierunt Hamburgi cIↃ IↃ CCLIIII: tertiae partis sectio prima, ibidem cIↃ IↃ CC LVII: nec hodienum ea Geographia ad vmbilicum adducta est. Veterem inprimis Geographiam CHRISTOPH. CELLARIVS proposuit in *notitia orbis antiqui, siue Geographia pleniori*, quae, cum *tabulis geographicis et nouis annotationibus* I. C. SCHWARTZII, tomis II Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXI edita est. Palaestinae speciatim Geographiam cognoscere poteris ex ADR. RELANDI *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata*,

strata, Norimbergae cIↃ IↃcc XVI. Nemo negauerit, *literariae* etiam *historiae*, aliquem esse in sanctae Theologiae propaedeumatibus locum concedendum; nisi forte vana illa et funesta literis persuasione fuerit corruptus; omnem eruditionem vna meditatione consectandam esse. quae a Philosophis quibusdam probatur. Optimum historiae literariae compendium est CHRIST. AVG. HEVMANNI *conspectus reipublicae literariae*, Hannouerae cIↃ IↃ cc XLVI; in quod optime est commentatus NIC. HIERONYMVS GVNDLING *in der vollständigen Historie der Gelartheit, oder ausführlichen Discursen über HEVMANNI conspectum;* cum praefatione KAPPII, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXXIIII vsque cIↃ IↃ cc XXXV, tomis III. Suppetit etiam eiusdem *collegium historiae literarium*, Bremae cIↃ IↃ cc XXXVIII et cIↃ IↃ cc LII foras datum. Legendus insuper PETRI LAMBECII *prodromus historiae literariae*, cui accessit *diarium itineris Cellensis*, cura IO. ALB. FABRICII, Hamburgi cIↃ IↃ cc X: DAN. GEORG. MORHOFII *polyhistor*, qui nouissime prodiit, Lubecae cIↃ IↃ cc XLVII; et in nouiter editis IO. AD. FABRICII *Abriß einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit*, partibus III, Lipsiae cIↃ IↃ cc LII. Optime libros cognoscere poteris ex diariis siue ephemeridibus. in quibus sunt, *Journal des scavans; acta eruditorum*,

rum, quae auſpiciis OTTONIS MENKENII Lipſiae edi coepta ſunt cIↃ IↃCCLXXXII; TENZELII *monatliche Unterredungen* et *curieuſe Bibliothek*; *bibliotheque choeſie*; *bibliotheque Britannique*; *bibliotheque Germanique*, continuata cum indice: *Journal litteraire d'Alemagne, et nouvelle bibliotheque Germanique.* Plura eiuſmodi ſcripta recenſentur in ephemeridum librariarum catalogo, qui MORHOFII *polyhiſtori* praefixus eſt. auxit eum SCHWABIVS. Scriptorum fata cognoſcere poteris ex CHRIST. GOTTL. IOECHERI *allgemeinen Gelehrten-Lexicon*; quod quatuor voluminibus prodiit Lipſiae cIↃ IↃCCL et cIↃ IↃCCLI. Praecipue theologicae literarum hiſtoriae Theologo eſt inhaerendum; quam ex inſtituto propoſuerunt, IO. FRANC. BVDDEVS in *iſagoge hiſtorico-theologica*, Lipſiae cIↃ IↃCC XXVII edita. quae nunquam ſeponenda eſt e manibus: CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS in *introductione in hiſtoriam Theologiae literariam*, quatuor partibus euulgata Tubingae cIↃ IↃCC XXIIII vſque cIↃ IↃCCC XXVI: IO. CHRISTOPH. DORNIVS in *bibliotheca theologica critica*, Francofurti cIↃ IↃCCC XXI: GOTTL. STOLLIVS in *der Anleitung zur Hiſtorie der theologiſchen Gelartheit*, Ienae cIↃ IↃCC XXVIIII; et IO. GEORG. WALCHIVS in *bibliotheca theologica ſelecta*. cuius prima pars Ienae prodiit cIↃ IↃCC LVII. In

ephemeridibus theologicis praecipuae sunt, *Altes und Neues aus dem Schatz theologischer Wissenschaften*; quae scriptio inchoata est Wittebergae cIↃ IↃ CC I. continuationes eius sunt: *Unschuldige Nachrichten vom Alten und Neuen*: *Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen*: *Früh aufgelesene Früchte*; et *neue Beyträge von alten und neuen theologischen Sachen*; cui diario addendi indices, et VAL. ERN. LOESCHERI annales theologici, continuatur id etiam hodie: *Auserlesene theologische Bibliothek*, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXVII. quam IO. CHRISTOPH. COLERVS vsque ad annum cIↃ IↃCC XXXVI prosequutus est: *acta historico-ecclesiastica*, incepta Vinariae cIↃ IↃCC XXXIIII auctore COLERO. continuauit ea WILH. ERNESTVS BARTHOLOMAEI: FRID. WILH. KRAFTI *neue theologische Bibliothek, darinnen von den neuesten theologischen Büchern und Schriften Nachricht gegeben wird*. quae ephemeris Lipsiae edita est ab anno inde cIↃ IↃCC XLVI, et singulis mensibus continuatur. Maximam etiam partem theologica continentur *in den Nachrichten von einer Hällischen Bibliothek*. cuius scriptionis continuationes sunt SIG. IAC. BAVMGARTENII *Nachrichten von merkwürdigen Büchern*. SEMLERVS vero qui nunc iltam librorum recensionem edit, breui finem ei imponet.

net. Vtile etiam erit legere theologicam scriptionem, quae subinde continuatur auctore ERN. LVDOVICO RATHLEFF; estque ante dicta, *der Theologe*: nunc vero inscribitur, *der Gottesgelehrte*. Ipsorum ecclesiae doctorum a CHRISTO nato vsque ad saeculum decimum quartum historiam dedit GVIL. CAVE in *historia literaria scriptorum ecclesiasticorum*, cuius editio ab auctore ante obitum recognita prodiit Basileae clɔ Iɔcc XLI et clɔ Iɔcc XLV. Multorum vero Theologorum, qui inde ab reformatione claruerunt historiam reperies in MELCHIORIS ADAMI *vitis eruditorum cum Germanorum tum exterorum*, editis Francofurti ad Moenum clɔ Iɔccv. Neque tamen eo in libro vnice de Theologis eruditis agitur; sed vniuerse de iis, quibus magna fuit eruditionis vis. De recentioribus Theologis egit EL. FRIDERICVS SCHMERSAHL *in der Geschichte ietztlebender Gottesgelehrten*. Longosaliss ab anno clɔ Iɔcc LI. quod scriptum iam non continuatur. Praeterea ERN. LVDOVICVS RATHLEFF, IO. CHRIST. STRODTMANNVS, ERVCKERVS, et alii, qui vniuerse de doctis nostri aeui hominibus egerunt, Theologos etiam fama claros minime omiserunt. Ceterum de historia philosophica statim dicam: ecclesiastica vero historia

storia ad ipsam Theologiam pertinet; et dogmatum historia (h) plena iam non suppetit

VIII

VENTVM est ad *Philosophiam*, qua nihil esse augustius; nihil homine dignius potest. *Historia philosophica*, ab ea enim videtur ordiendum esse, superuacanea non est Theologiam culturo: quod in sacris literis Epicurei, Stoici, (i) aliaque, quae ad veteres sophos pertinent commemorantur; et quod ea, via ad omnem Philosophiam panditur. In compendiis historiae philosophicae est CAR. GERH. GVIL. LODTMANNI *kurzer Abriß der Geschichte der Weltweisheit, nach der Ordnung der Zeiten entworfen*, Helmstadii cIↃ IↃ CC LIIII. Pleniſſime eam tradidit IAC. BRVCKERVS *in historia critica Philosophiae a mundi incunabilis ad nostram aetatem deducta*, tomis V, Lipsiae cIↃ IↃ CC XLII vsque cIↃ IↃ CC XLIIII. Optime autem sibi consulet, qui DIOGENEM inprimis LAERTIVM, PLVTARCHVM et SVIDAE quasdam particulas, perdiscendae historiae philosophicae ergo, legerit: quod recentioribus eius scriptionibus,

(h) Vid. MOSHEMII *Anweisung, die Gottesgelartheit vernünftig zu erlernen, cap. I, par. X, pag.* 84.

(i) *Act. XVII, 18.*

nibus, plerumque ex scriptoris ingenio aliquid aspersum est. E *Logicis* Theologus repetit praecepta distincte et partite dicendi: quemadmodum ex scripturae assertionibus syllogismi comparari possint; et quomodo cum aduersariis rationibus sit contendendum. In praestantissimis Logicae compendiis, praeter WOLFII, BAVMEISTERI et CORVINI compendia, est etiam HERM. SAM. REIMARI *Vernunftlehre, als eine Anweisung zum richtigen Gebrauch der Vernunft in der Erkenntniß der Wahrheit, aus zwoen ganz natürlichen Regeln der Einstimmung und des Wiederspruchs hergeleitet*, Hamburgi cIↃ IↃ CC LVI. In maioribus de Logica libris est CHRISTIANI WOLFII *Philosophia rationalis* siue *Logica*, edita Halae cIↃ IↃ CC XL; et GEORG. FRID. MEIERI *Vernunftlehre*. quae ibidem typis expressa est cIↃ IↃ CC LII. *Metaphysicae* cognitio perquam vtilis est Theologo, et necessaria etiam, praecipue quando agit cum his qui negant sacrarum literarum originem diuinam. Compendia Metaphysicae optima WOLFIO, BAVMEISTERO et S. V. SCHVBERTO debentur. Spissiores de ea libros dederunt G. BERNH. BVLFINGERVS in *dilucidationibus philosophicis de Deo, anima humana, mundo et generalibus rerum affectionibus*, Tubingae cIↃ IↃ CC XLVI: MEIERVS item; ac in primis CHRISTIANVS WOLFIVS,

FIVS, cuius *Philosophia prima* siue *Ontologia* prodiit Francofurti cIↃ IↃ cc xxxvi: *Cosmologia generalis* ibidem cIↃ IↃ cc xxxvii: *Psychologia rationalis et empyrica*, Halae cIↃ IↃ cc xxxviii vsque cIↃ IↃ cc xl; ac *Theologia naturalis*, Halae cIↃ IↃ cc xxxviiii vsque cIↃ IↃ cc xl. quae etiam in Theotiscam linguam fusa est, ibidem cIↃ IↃ cc xlii vsque cIↃ IↃ cc xliii. Speciatim vero Theologia naturalis plenius Theologo cognoscenda, quam reliquae Metaphysicae partes, quorsum faciet G. GVIL. LEIBNITII *essais de theodicée*, cuius libri conuersio cum annotationibus IO. CHRIST. GOTTSCHEDII prodiit Hanouerae cIↃ IↃ cc xliiii: HERM. SAM. REIMARI liber quem inscripsit: *die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion in X Abhandlungen auf eine begreifliche Art gerettet*, Hamburgi cIↃ IↃ cc liiii; et IAC. CARPOVII *elementa Theologiae naturalis dogmaticae a priori methodo scientifica adornata*, Ienae cIↃ IↃ cc xlii. *Iuris naturae* insignis est in exponenda diuina lege vsus: quare Theologi omnino est id tenere. In compendiis eius sunt, IOACH. GEORG. DARIES *institutiones Iurisprudentiae vniuersalis, siue ius naturae et gentium*, Ienae cIↃ IↃ cc xlv. Idem fusius explanauit, partibusque octo complexus est CHRIST. WOLFIVS, Halae cIↃ IↃ cc xli vsque cIↃ IↃ cc xlvii. Huc etiam

etiam spectant HVGONIS GROTII *libri tres de iure belli ac pacis*; qui cum commentariis GVILIELMI VAN DER MVELEN prodierunt Amstelodami cIↃ IↃCC IIII, seq. et SAMVELIS PVFENDORFII libri VIII *de iure naturae et gentium*, cum *integris commentariis* HERTII *et* BARBEYRAC, *et animaduersionibus* GOTHOFR. MASCOVII, tomis II, Francofurti cIↃ IↃCC XLIIII. *Ethicam* quoque Theologi est nouisse, vt, qua morali conueniat Theologiae; qua ab illa emendetur et vincatur, possit intelligere. In compendio eam proposuit CHRIST. WOLFIVS *in den Gedanken von der Menschen Thun und Lassen*, Halae cIↃ IↃCC XLVII: itemque IOACH. GEORG. DARIES *in den ersten Gründen der philosophischen Sittenlehre*, Ienae cIↃ IↃCC L. Locupletiores eius institutiones suppeditauit CHRIST. WOLFIVS in *Philosophia morali siue Ethica*, Halae cIↃ IↃCC LI; et GEORG. FRID. MEIER *in der philosophischen Sittenlehre*, Halae cIↃ IↃCC LIII, seq. Neque reliquarum Philosophiae partium nullus est in Theologia vsus. Nam et purae et applicatae *Matheseos* cognitione instructus esse debet ille, qui agere volet ac disputare cum aduersariis, qui inde obiectiones aduersus caelestem doctrinam videntur compilasse. Optimum vniuersae Matheseos compendium est

CHRIST.

CHRIST. WOLFII *Auszug aus den Anfangsgründen aller mathematischen Wissenschaften, zu bequemeren Gebrauch der Anfänger*, Francofurti cIↃ IↃ CC LV. Cui adde IO. ANDR. KRÜGERI *Anmerkungen über Herrn WOLFENS Auszug aus der Rechenkunst*, Halae cIↃ IↃ CC XLIII; eiusdemque *Anmerkungen über des Freyherrn von WOLFS Geometrie*, ibidem cIↃ IↃ CC XLVII. Deinde pergere poteris ad WOLFII librum maiorem, qui inscriptus est: *Die Anfangsgründe aller mathematischen Wissenschaften*, Halae editus cIↃ IↃ CC L. ex quo istud compendium comparatum est: ac tum demum eiusdem *elementa Matheseos vniuersae*, quae quinque tomis constant, suntque Halae foras data cIↃ IↃ CC XLII, legere multa cum vtilitate poteris. *Physica* etiam Theologo est delibanda: quoniam eius cognitio multum omnino facit ad redarguendum Atheos. Nempe plurima argumenta existentiae, omnipotentiae et sapientiae Dei Physica subministrat, in quibus nihil desiderare Athei possint, quin se turpes dent. Iam in compendiis Philosophiae naturalis sunt, G. E. HAMBERGERI *elementa Physices methodo mathematica conscripta*, Ienae cIↃ IↃ CC LI; et prima pars Physicae, quam IO. GOTTL. KRÜGERVS Teutonica in lingua composuit: nam reliquae duae eiusdem libri partes ad Medicinam potissimum spectant.

spectant. Est autem ista Physica edita Halae cIↃ IↃ cc L. Idem KRÜGERVS experimentalem etiam Physicam, siue *Philosophiam naturalem experientiis confirmatam* dedit, Halae cIↃ IↃ cc xxx; quam et WOLFIVS prosequutus est partibus III, Halae cIↃ IↃ cc xxxvii vsque cIↃ IↃ cc xxxviii editis. Neminem etiam poenitebit PLVCHII inspexisse librum, in quo multa Physices argumenta ita vt iuuat pertractantur. Est ei index hic: *Schauplatz der Natur; oder Gespräch von der Beschaffenheit und den Absichten der natürlichen Dinge*. qui liber ex Gallica lingua in vernaculam translatus ac editus est Viennae cIↃ IↃ cc xlvii vsque cIↃ IↃ cc liii. Tandem *Philosophia* etiam *ciuilis*, oeconomica pariter ac politica, aliquanto coli abs Theologo poterit: quum et oeconomica et politica, sacris in literis frequenter adferuntur. Ac de vtraque ciuili Philosophia exposuit CHRIST. WOLFIVS *in den vernünftigen Gedanken von dem gesellschaftlichen Leben der Menschen, und insonderheit dem gemeinen Wesen, zu Beförderung der Glückseligkeit des menschlichen Geschlechts*, Francofurti cIↃ IↃ cc xlvii. Haec hactenus. Quoniam vero Philosophia plerumque in Academiis demum addiscitur; atque in his non omnibus vacat, vt praeter Theologiam de singulis Philosophiae partibus peculiares praelectiones exaudire possint: illis,

qui breuiter absoluere curriculum academicum volent, suaserim, vt *cursum*, quem vocant *philosophicum* exaudiant. quo praecipua omnis Philosophiae contenta strictim explicantur. Atque ad eiusmodi auditiones instituendas LVD. PHIL. THVMMIGII *institutiones Philosophiae Wolfianae*, editae Francofurti cIↃ IↃ cc XLVI et cIↃ IↃ cc L, adornatae sunt. Est etiam omnem Philosophiam vno libro complexus IO. CHRIST. GOTTSCHED *in den ersten Gründen der gesammten Weltweisheit*; vt et IO. AVG. ERNESTI *in initiis doctrinae solidioris*, Lipsiae cIↃ IↃ cc L editis. Interim tamen Metaphysica ad minimum peculiari etiam in collegio videtur pertractanda esse. Iam ad libros philosophicos cognoscendos, eadem scripta, quae, quum de historia literaria agerem commendaui, facient. In ephemeridibus tamen speciatim ea videtur commendanda esse, quae CHRIST. ERN. WINDHEIMIVM auctorem habet. Incipit ea ab anno cIↃ IↃ cc L, et nunc inscribitur, *die philosophische Bibliothek*. Antequam vero hinc discedam commemorabo lexicon, in quo et critica et historica, nec non philosophica habentur: nempe PETRI BAYLII *dictionaire historique et critique* innuo. Suppetit nunc etiam eius conuersio vernacula. cuius index est hic: *Herrn PETER BAILENS, weyland Professors der Philo-*

Philosophie und Historie zu Rotterdam, historisches und critisches Wœrterbuch, nach der neuesten Auflage von CIↃ IↃCC XL. *ins Deutsche übersetzt, auch mit einer Vorrede und verschiedenen Anmerkungen, sonderlich bey anstœßigen Stellen, versehen von IOHANN CHRISTOPH GOTTSCHEDEN,* Lipsiae CIↃ IↃ CC XLI vsque CIↃ IↃCC XLIIII. Fuit autem BAYLIVS Scepticus, aut ad minimum Academicus. Inprimis Manichaeorum errorem ita proposuit, quasi cum Manichaeis omni ex parte consentiret. Interim tamen fatetur eorum sensa absona esse: sed statim subiicit ad Manichaeorum exceptiones non a priori, sed a posteriori saltem, responderi posse. Refutarunt BAYLIVM CLERICVS et IAQVELOT; optime autem IO. CHRIST. WOLFIVS in *Manichaeismo ante Manichaeos, et in Christianismo rediuiuo,* Hamburgi CIↃ IↃ CC VII. Itaque BAYLII Lexicon prouide vsurpandum erit

VIIII

MINIME vero existimandum, parum referre, quo tandem cunque modo Philosophia in Theologia reuelata vsurpetur; et quo ea loco in theologicis quaestionibus habeatur. Nam, vt Philosophia, si dextre in theologicis adhibeatur, adiumento est Theologo; ita e contraria

parte eadem, sinistre et inconsiderate ad Theologiam sanctam translata, magnum intertrimentum et incommodum in Theologiam importat. Quare operae videtur pretium esse, vt tum de vsu, tum de abusu Philosophiae in Theologia ex instituto dicam. Iam quis iustus sit et legitimus Philosophiae in theologicis vsus, et varia quae ex eo redundant commoda, IOANNES MVSAEVS, in scriptione, *de vsu principiorum rationis et Philosophiae in controuersiis theologicis*, aduersus NICOLAVM VEDELIVM, libri *de rationali Theologico* auctorem, Ienae anno cIↃ IↃC XLVII, commemorauit. BALTHASAR item MEISNERVS, in *philosophia sobria* Wittebergae cIↃ IↃCXXI: praecipue in generali quaestione: *an et quis sit Philosophiae in Theologia vsus* (k): IOANNES MARTINVS CHLADENIVS, in *Logicae sacrae*, Coburgi anno cIↃ IↃCCXLV editae, capite nono: *de vsu Philosophiae in Theologia systematica* (l): PAVLVS IACOBVS FOERTSCH in *oratione, de coniungendo cum Theologia Philosophiae studio*, Gottingae cIↃ IↃCCLVI; rel. Inest autem Philosophiae in diuiniori doctrina vsus potissimum eo, vt 1) Theologi *ingenium in percipiendo expeditum*

(k) A *pag.* inde 9 vsque 54 (l) *Pag.* 477 vsque 482

tum reddat; in confirmando accuratum; in defendendo et refutando acutum (m). II) Vt inde aliqua loquelarum ecclesiasticarum, quae philosophicae sunt, et philosophico vnice sensu adhibentur, expositio ac illustratio peti possit (n). qua tamen in re videndum, vt ne mentem Theologorum, qui eiusmodi terminis vsi sunt, deseras. Itaque iniurius ille in ecclesiae doctores esse videretur, qui, distinctionem illam inter obiectiuam et subiectiuam scripturae vim interpretaturus, ita vtramque finiret, vt de illa quam subiectiuam dixere, nec vola videretur nec vllum vestigium adesse; atque adeo id, quod ad obiectiuam sacrarum literarum virtutem pertinet, ad subiectiuam etiam earundem virtutem transferret. III) Vt notiones scripturae verbis subiectae, definitionibus ad Logices praecepta exactis, comprehendi possint (*). IIII) Vt, quae in sacra scriptura fidei rebus subiectae sunt probationes, ad syllogismos ope Logices reuocentur: quo eo commodius in systema transferri, et in eleuandis et frangendis aduersariorum exceptionibus adhiberi possint. Atque

(m) Vid. BALTH. MEISNERI *philosophia sobria p. 19 et 20*

(n) Idem, *p. 23*

(*) Conf. IO. MART. CHLADENII *logica sacra, cap. VIIII, par. 321, p. 478*

que hunc Philosophiae vsum AVGVSTINVS, Hipponensis Episcopus, commendat, quando de ostendenda in Theologicis connexionum veritate agit. Sunt enim ipsi connexionum regulae, quibus *discitur quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans* (o); id est Logices praecepta. Abhibet autem, ad demonstrandum harum praeceptionum in sancta Theologia vsum, perquam idoneum exemplum; quod attulisse iuuabit. Postquam enim ostenderat illum, *qui dicit: quum falsum est quod consequitur, necesse est vt falsum sit, quod praecedit, verissime dicere, neque ipsum facere vt ita sit, sed tantum ita esse demonstrare*, ad hunc modum pergit: *Ex hac regula illud est quod de apostolo PAVLLO commemorauimus: praecedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porro illam sententiam praecedentem, qua dicebant non esse resurrectionem mortuorum, necessario sequitur: neque*

(o) *Lib. II de doctrina Christiana, cap. XXXIIII, oper. tom. III, p. 17*, ed. Coloniae Agrippinae cIↃ IↃ cXVI. Itaque VEDELIVS prorsus AVGVSTINVM non intellexit, qui, quum AVGVSTINVS de connexionum regulis loquitur, hoc de physicis et metaphysicis principiis est interpretatus. Vid. ABR. CALOVII *systema loc. theol. tom. I, cap. III, quaest. VI, p. 372*. Add. IO. MVSAEVS *de vsu princ. rat. lib. II, cap. XII, par. VIIII, seq. p. 431, seq.*

que CHRISTVS resurrexit. Hoc autem quod sequitur, falsum est, CHRISTVS enim resurrexit. Falsum est ergo et quod praecedit. Praecedit autem non esse resurrectionem mortuorum. Est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breuiter ita dicitur. Si non est resurrectio mortuorum, neque CHRISTVS resurrexit: CHRISTVS autem resurrexit. est igitur resurrectio mortuorum. V) Ad iustum Philosophiae in Theologia vsum spectat etiam hoc; quando λήμματα philosophica necessariae veritatis in argumentis theologicis, maioris aut minoris loco, ponuntur. VI) In collocandis et nectendis inter se theologicis propositionibus, ex vno Dei verbo arcessitis, Philosophia est adhibenda: sed ea lege, vt subinde ad indolem naturamue Theologiae respiciatur. VII) In Polemica potissimum Theologia, et potest vsurpari Philosophia, et debet. Eo enim facit, vt commodius obuiam iri Atheistarum et Naturalistarum cohorti possit (p). Quae quum ita sint, dextre omnino in theologicis Philosophia adhibetur, quando philosophica quaedam prolegomena, ipsi Theologiae praemittuntur.

(p) Vid. MEISNERVM in *Philos. sob. p. 28 et 29.* It. CHLADENIVM in *logica sacra, cap. VIIII, par. CCCXXVIIII, pag. 482*

Nec quicquam obstat, quo minus theologicae propositiones in aliquod systema, adhibitis praeceptionibus dialecticis, redigantur. Atque ex his, quae de Philosophiae in Theologia vsu dixi, potest intelligi, Lutheranis praeter rem dicam a BRAVNIO scribi, quod putent Philosophiam nullius in Theologia vsus esse

X

ABVSVS autem Philosophiae est, I) quando Theologiae reuelatae principium cognoscendi esse perhibetur: siue id eum in modum fiat, vt vna Philosophia, aut ratio, cognoscendae Theologiae reuelatae principium asseueretur esse; siue ita, vt communiter cum scriptura principii in Theologia partes sustinere dicatur. Caussa est haec, quod diuino verbo omnia sunt principii cognoscendi requisita: siquidem est πρότερον, γνωριμότερον, ἀυτόπιστον atque αἴτιον τῶν συμπερασμάτων, id est, *primum, notius, indemonstrabile* et *caussa conclusionum* nempe theologicarum; adeoque in se continet rationem cur alterum cognoscatur. quae est principii cognoscendi apud Philosophos finitio. Itaque, quum ipsa scriptura iustum sit Theologiae principium cognoscendi, aliud non erit comminiscendum; nec ei adiungendum. Deinde vero ei etiam

abusui

abusui obstat, quod, quae vnius reuelationis sunt, non possunt non omnem rationem post se relinquere. Vnde ipsa etiam ratio in principibus diuinae patefactionis criteriis reponit: eam supra rationem esse oportere. Quicquid autem supra rationem omnem et Philosophiam assurgit; eius cognoscendi principium ratio esse nequit. Nam supra rationem esse constitutum, et ex Philosophiis cognosci, in pugnantibus est. Itaque Philosophia principium cognoscendi eorum, quae vnius reuelationis sunt, esse non potest. Quam etiam ob rem diuus PAVLLVS Apostolus negat spiritualia obiecta in his esse, quae ex lumine naturae cognoscantur, et cognosci possint (q). Sunt autem in sacris literis eiusmodi etiam dogmata reperiunda, quae rationi cognita sunt, et in Philosophia traduntur. Possunt itaque illa dogmata dupliciter spectari: nempe, qua ex rationis vsu recto et Philosophia cognoscuntur; et qua reuelationi inserta sunt, atque ad eandem pertinent. Iam, qua ex ratione et Philosophia perspiciuntur, habent omnino cognoscendi principium rationem. Sed de ea cognitione hoc in loco non agitur. Enimuero, qua vt scripturae contenta spectantur, eorum cognoscendi principium ipsa est scriptura;

(q) 1 Cor. II, 14.

ra; atque adeo, qua inde cognoſcuntur, reuelatae Theologiae ſunt. Nam iſta dogmata non modo propter hanc cauſſam reuelationi ſunt inſerta, quo ex eorum dogmatum, quae vnius reuelationis ſunt, cum his conſenſione, eorumque ad haec relatione in ſacris literis demonſtrata, earundem veritas et diuina origo elucefcat: ſed etiam propterea, quod iſta dogmata omnino ad fidei et morum doctrinam reuelatam tranſferenda fuerunt. Vnde etiam iſta dogmata, qua ex ſcriptura ſacra percipiuntur, conſtituunt fidei articulos. Quicquid vero in fidei eſt articulis, id, qua eſt fidei, non ex Philoſophia, ſed ex ſcriptura, in qua ſe Deus reuelauit, cognoſcitur. Ergo negari non poterit, haec etiam, quae rationi cognita ſunt dogmata, qua in ſacris demonſtrantur pandectis, ex ipſa ſcriptura, tanquam principio, cognoſci. Eſt vero in ipſa etiam horum dogmatum cognitione, quae ex diuerſis deriuatur principiis, aliquid quod diſcerni poſſit. Primo enim plenius iſta dogmata ex reuelatione intelliguntur, quam ex ratione. De attributis Dei, vt his vtar, recte omnino ac egregie in Philoſophia exponitur: ſed eadem tamen multo clarius et penitius agnoſcuntur ex ſcripturae oraculis, quibus oſtenditur, quemadmodum Deus ea in redemtionis negotio et oeconomia ſalutis declarauerit. Interdum etiam in

ſcriptu-

scriptura ei, quod ratio aliquanto de aliqua re intelligit, aliud additur, quo eius rei cognitio perficitur: vt cauſſis male ab hominibus factorum, quae ratio ex aliqua parte videt, in ſcriptura ſacra etiam annumeratur Diabolorum ὑποβολή. quam ratio penitus ignorat. Deinde vero ex eorum dogmatum cognitione philoſophica, tanta apud eum, qui dextre rationem adhibet, earum certitudo oritur, vt intelligat, negari ea non poſſe, quin ipſa rationis principia tollantur. At enim vero in Theologia reuelata eadem dogmata creduntur, quoniam in ſacra ſcriptura, quam diuinae conſtat originis eſſe, ad haec, quae ſunt fidei obiecta, referuntur. quae eſt ſumma certitudo, et ſupra philoſophicam illam aſſurgit. Nam quantumuis et philoſophica illa certitudo a Deo repetenda ſit; quod ratio, qua ſana eſt, ei debetur: idem tamen Deus, quod, quae ex lumine naturae cognoſcuntur, perſpiciuntur interueniente hominis ratiocinatione, vnde facile aliquid infirmitatis admiſceri poteſt, voluit, vt homines eadem dogmata, quae vera eſſe ex rationis vſu recte cognouerunt, vna cum eis quae vnius reuelationis ſunt, plenius, et tanquam fidei articulos, ex ſcriptura ſacra cognoſcant: quoniam ſcripturae diuina eſt a ſpiritu ſancto vis; et idem ſpiritus ſuas cum ea effectiones intrinſecus coniungit, adeo vt certitudo

et

et fides, quae ex consideratione et meditatione verbi diuini oritur, qua omnia fidei obiecta, non possit non summa esse et maxima. Atque ea quae iam de hac caussa dixi probari poterunt ex Hebr. XI, 3. quo in loco PAVLLVS Apostolus dogma de creatione huius rerum vniuersitatis, quod sibi ex ratione et philosophicis certo constat: sed plenius tamen in sacris literis propositum est, diserte ad ea refert, quae *πίστει νοῦμεν*, quae *fide agnoscimus*; id est, *per reuelationem*. quemadmodum etiam GROTIVS ista verba interpretatur. Idem etiam Apostolus, eodem in capite, commate sexto, ostendit, cum, qui ad Deum accedit, credere oportere, quod sit. vbi τὸ credere accipiendum omnino est de spiritus sancti effectione; vtpote qua ad Deum acceditur. Adeoque ex his locis intelligitur: eadem dogmata, quae exploratae veritatis esse ex ratione cognoscuntur; qua sunt fidei articuli, ex scriptura plenius cognoscenda et propter testimonium spiritus sancti internum credenda esse. Itaque siue puros, quos vocant, siue mixtos articulos fidei spectes, constat sibi istud CLEMENTIS Alexandrini: *Aliunde de rebus fidei loqui non possumus, nisi ex literis fidei.* Praeter haec, Philosophiam non esse reuelationis principium cognoscendi, ex CHRISTI et sacrorum amanuensium praxi intelligitur: quoniam illi in fidei

dei rebus demonstrandis his, qui reuelationis veritatem agnouerant; ad vnam Dei reuelationem prouocarunt. Nam Prophetis solenne fuit istud: *sic dixit Dominus;* ac CHRISTVS et Apostoli subinde vetus testamentum excitarunt. Atque tandem notat etiam scriptura hunc abusum Philosophiae, quo ei principii partes deferuntur, 2 Cor. X, 5; et Coloss. II, 8. Est itaque non ratio, nec Philosophia, sed vna scriptura Theologiae cognoscendae principium. Solent autem qui aliter sentiunt, eo plerumque se recipere, vt ea, quae in scriptura de omni Philosophiae abusu, et praecipue de hoc, quo principii loco in theologicis habetur euitando, agunt, saltem de ratione hominis irregeniti, subiectiue spectata, capienda esse putent: regenito autem concedant, collustratam lumine diuino rationem, tanquam principium in theologicis vsurpare. At enim vero quicquid ratio hominis regeniti diuina veritatis luce perfusa, quatenus ea est collustrata, de rebus fidei recte cognoscit, id omne ea ex ipsa scriptura cognouit; atque aut qua verba in eadem proponitur; aut per pronam tamen consequentiam ex scripturae verbis potest deduci. Nam illuminatio a sancto flamine mediante verbo efficitur. quamobrem quicquid illuminationis est apud regenitum, eius aliud esse cognoscendi principium quam scri-

scriptura nequit. Itaque ratio hominis regeniti nec est, nec dici potest Theologiae principium: quod regenitus res fidei omnes, qua sunt fidei, nec cognouit aliunde, nec cognoscere etiam potest; quam vna ex scriptura. Deinde vero ratio collustrata etiam propter hanc causſam Theologiae principium constitui nequit, quod regeniti etiam hominis intellectus, aliquando potest praeiudicatas opiniones suscipere; ac fieri etiam potest, vt animi commotione vehementiori turbetur (r). Quum itaque nec illuminata ratio principium Theologiae cognoscendae esse possit: vnum hoc in hac quaestione videtur reliquum esse, vt ostendatur, cum eo, quod inter rationis et Philosophiae abusus reputatur, si quis eam principii loco in Theologia habet, optime consentire, quando nostrates concedunt, in theologicis argumentis sumtiones aut λήμματα Philosophiae, alterutram ex praemissis enunciationibus constituere posse; idque, si fiat, ad iustum Philosophiae in Theologia vsum referunt: sunt enim in recentioribus etiam pluralitatis principiorum in Theologia assertoribus,

(r) Plures causſas ob quas ratio illuminata Theologiae principium esse non possit, IO. IAC. RAMBACHIVS commemorauit, *in institutionibus hermeneuticae sacrae, lib. II, cap. I, par. V, p. 97*

bus, qui potissimum in ista Theologorum nostratium declaratione, scitamenti sui praesidium quaerant. Thesis itaque probanda est haec: in argumento pure theologico aut maioris aut minoris propositionis loco poni potest λῆμμα philosophicum: neque tamen eo aliud constituitur principium Theologiam reuelatam cognoscendi, praeterquam vnum. Iam, quod in thesi dicitur, propositioni philosophicae in pure theologico argumento locum esse, id non est de singulis propositionibus philosophicis accipiendum, sed de iis saltem, quae absolute necessarias veritates comprehendunt: negat enim MVSAEVS (s), et cum eo alii, in quaestione vnice theologica, *aliud quam absolute necessarium principium ex ratione desumi et cum theologica particulari propositione tuto coniungi posse.* Ipsa autem thesεos probatio eo redit, vt evincatur: in eo etiam argumento theologico, in quo aliqua praemissa enunciatio philosophica obtinet; tamen complexionis principium non philosophicum, siue ex philosophia repetendum, sed theologicum vnice, siue ex sacris literis repetendum esse: ea enim re euicta statim etiam dandum

(s) *Lib. II, de vsu principiorum rationis et Philosophiae in controuersiis theologicis, cap. XIIII, par. VII, p. 456*

dum est, istam sumtionum philosophicarum in theologicis argumentis vsurpationem, vnitati principii cognitionis in Theologia, per omnia respondere. Enimuero Theologi nostrates in eius rei demonstratione, non vno omnes modo versati sunt. Exaudiamus primo MVSAEVM. Atque ille, quum de diuisione principiorum in commune et proprium verba fecisset, ostendit, si qua in *disciplina cum principio proprio aliud, diuersis disciplinis commune principium, ad conclusionis illationem concurrat, illud absolute dici conclusionis principium, abs quo ipsa tanquam a principio disciplinae proprio dependet*: eaque assertione adiutus statuit, philosophicam propositionem, quae in theologico argumento alterius praemissae locum occupat, ad theologicam philosophicam et aliarum disciplinarum conclusiones, *indifferentem* esse: *determinationem* vero eius, ab sola propositione theologica dependere. atque inde colligit, *absolute loquendo, solam theologicam propositionem conclusionis theologicae principium dicendum esse, non obstante quod altera philosophica, quae vel in principali argumento cum ea coniungitur, vel in prosyllogismo adhibetur, suo modo eiusdem conclusionis principium sit* (t). quae

(t) *Lib. II, de vsu principiorum rationis, cap. XIII, par. XX et XXI, pag. 438 et 439*

quae vt plenius intelligantur adferam verba PETRI HVRTAD DE MENDOZA, in quibus ea res idoneo exemplo illustratur. *Aduerte*, inquit, *determinationem explicari propositione causali, verbi gratia; Deus et ignis concurrunt ad calefactionem. Concursus Dei ex se et in actu primo est indifferens ad calefaciendum et refrigerandum: vnde in solo Deo, vt est praecise causa vniversalis, non intelligimus, cur eius actio esse debeat calefactio potius quam refrigeratio. Vnde non dicimus, hanc actionem esse calefactionem, quia oritur a Deo; nam et refrigidatio oritur a Deo: at uero ignis ex se est determinatus ad calefaciendum; nec enim est indifferens ad refrigidandum, et dum concipimus ignem petentem concursus Dei ad agendum; intelligimus eos concursus esse ad calefaciendum. Ecce haec vera causalis; haec actio est calefactio, quia oritur ab igne* (v). Nempe, *vt calefactio non propterea calefactio est, quia a Deo, sed quia ab igne est: ita conclusionem*, in theologicis, de quibus agitur argumentis, *non propterea theologicam esse, quia ab* philosophica; *sed quia ab theologica propositione dependet*, MVSAEVS opinatur. Idem alio etiam argumento, in eadem re demonstranda, vsus est. cuius tenor est hic: In quocunque argumento *consideratis omnibus*

(v) *In disputatione physica X, sect. IIII, par. XXV.* Exstat ea verba MVSAEVS l.c. *par. XXII, p. 443*

bus, quae ratio ex suo lumine docere valet, conclusio adhuc ignota et nobis neutra manet; nota autem fit, et probari potest, si insuper ad ea attendas, quae scriptura sacra revelat, et ad eandem conclusionem subministrat: principium ex quo petitum dicitur argumentum, absolute scriptura est, non ratio (x). Iam in sumtione poni possunt argumenta theologica pura, in quibus vna ex praemissis enunciationibus philosophica est. itaque dandum etiam principium eiusmodi conclusionum absolute scripturam, non rationem esse. Atque eandem sententiam, quam MVSAEO in hac caussa fuisse ostendi, CHRIST. MATTH. PFAFFIVS (y) etiam cum aliis videtur alere. Pergo ad ISR. THEOPH. CANZIVM. qui, considerans philosophicam sumtionem vtplurimum maioris vice in argumento theologico poni; ac *rationem quare praedicatum conclusionis subiecto adaptatur, a maiore propositione peti: cum in minori duntaxat indicetur, contineri subiectum conclusionis subiecto maioris*, hanc suscepit KLEMMIO auctore opinionem: philosophicas sumtiones in Theologia adhiberi, *qua per spiritus auctoritatem ex obliquo comprobatae* (z) sunt. Itaque

(x) L. c. *par. XXVIIII, p. 445 et 446*

(y) *In supplemento* THVMMII, *p. 585*

(z) In libro *de vsu Philosophiae Leibnitianae et Wolfianae in Theologia, cap. II, par. XXXVIII, p. 46*

que de syllogismo hoc vsu trito: Gignens et genitus realiter differunt: atqui pater et filius in diuinitate differunt vt gignens et genitus. vt itaque realiter differant necessum est, ad hunc modum eloquitur: *Me iudice maior theologica est auctoritate Dei ex obliquo comprobata. Non potest enim reuelationis auctoritas non habere rata Philosophiae necessaria Axiomata.* de qua re alii iudicium faciant. Mihi quidem videtur, conclusionem, in argumentis, quorum altera praemissa philosophica est, omnino non ex alio praeterquam vno et genuino Theologiae principio, nempe scriptura sacra, deduci ac repetendam esse, breuiter ac facile probari posse ad modum hunc: Si in hisce argumentis conclusio praemissae enunciationis theologicae et literarum sacrarum effectio est; atque philosophicum λῆμμα instrumenti vnice rationem habet; cogitur inde, vt vna etiam propositio theologica ipsaue scriptura, in his argumentis theologicae complexionis principium sit. Iam verum est id quod praecedit. itaque etiam id quod consequitur dandum erit. Vt sibi autem constet id quod antecedit, considerabimus quae sint theologica argumenta, in quibus λῆμμα philosophicum aliquam praemissam constituere posse datur. Nimirum quando hic de theologicis argumentis agimus, loquimur de eruen-

dis ex ipsis scripturae verbis, vel ex propositionibus etiam inde elatis, conclusionibus, quae his κατὰ τὴν διάνοιαν, aut virtualiter insunt. Itaque istae conclusiones, de quibus hoc in loco exponitur, virtualiter comprehenduntur scripturae verbis. Illis autem quicquid virtualiter continetur, id, vt eorundem sit effectio, necessum est. Sunt itaque istae conclusiones ipsorum scripturae verborum effectiones. Intelligitur autem tum ex ipsis verbis scripturae aut propositionis inde efformatae; tum vero etiam ex collatione variorum scripturae effatorum; ac ex mutuo et perpetuo veritatum caelestium consensu, e planissimis sacrarum literarum testimoniis collecto, in quo fidei analogia reponitur, quaenam conclusiones virtualiter insint scripturae verbis. Atque in his inde eruendis et proponendis, frequenter adhibentur sumtiones istae philosophicae, de quibus hic sermo est, vt argumenti formam assertio ipsa referat; possitque, quod certis legibus astricta est, aptius aduersariis obmoueri. Itaque, quum sibi aliunde constet, complexionem virtualiter insitam esse praemissae enunciationi theologicae: philosophica sumtio non iam vim principii, sed instrumenti saltem habere poterit. Accedit hoc, quod ex philosophicis principiis, nec praemissa theologica argumenti huiuscemodi, nec complexio,

plexio, vllo modo ac ratione deduci possit; atque adeo ex vna reuelatione intelligatur, aliquod λῆμμα philosophicum ad syllogismum Theologiae instrumenti vice referri posse. Iam si quis his omnibus perspectis, denuo negare voluerit, philosophicam istam propositionem in theologico argumento, vnice instrumenti loco habendam esse: quod maiorem vt plurimum propositionem constituit; consideret, se eo delabi, vt necesse etiam habeat, grammaticam obseruationem, si ad eruendum ex scripturae verbis literalem sensum, vniuersaliter enunciata, transferatur, principium interpretationis scripturae dicere. quod perquam absonum foret. Itaque certum est philosophicam sumtionem in argumentis theologicis non vltra instrumenti vsum assurgere. Transferamus hoc ad exemplum istud ante propositum: Gignens et genitus realiter differunt: pater et filius in diuinitate differunt vt gignens et genitus, consequitur inde. vt realiter differant. Minorem propositionem, quae ex Io. V, 22, seq. ibidem XIIII, 16, aliisue locis eruta est, si aliis verbis efferas erit haec: pater et filius in diuinitate differunt vt alius atque alius. quod si philosophice dixeris erit hoc: pater et filius in deitate differunt realiter: his enim in propositionibus vtrinque est par ratio. Neque potest etiam hoc: pa-

ter et filius in diuinitate differunt vt gignens et genitus, aliter accipi atque exponi, quam de differentia reali. Etenim de essentiali discrimine id intelligi nequit, propter ὁμοσσίαν inter personas diuinas, Io. X, 30, et 1 Io. V, 7, assertam. Neque id de modali potest discrimine sumi. qui est KECKERMANNI error ab IACOBO MARTINI profligatus: tum enim pater et filius in diuinitate iam non differrent vt alius atque alius. Est ita reliquum hoc, vt differant realiter. Quidni itaque ista conclusio: pater et filius in diuinitate realiter differunt, virtualiter continetur enunciatione theologica: pater et filius in diuinitate differunt vt gignens et genitus? estque adeo eiusdem effectio. Iam, vt id quod conclusione continetur, eo commodius ad syllogismi formam reuocetur, philosophica propositio theologicae adiungitur. quae adeo non potest non instrumenti rationem habere: quum sibi ipsa complexio iam ex vna scriptura constet. Eodem modo in reliquis istiusmodi argumentis res se habet. Atque si adeo ipsa complexio, hisce in argumentis scripturae effectio est; philosophica autem sumtio instrumenti vnice vsum habet, verum vtique est, huius assumtionem, cum principii in Theologia vnitate, optime consentire. Quando enim affirmatur, vnum

solum-

solummodo Theologiae principium constitui debere, eo minime negatur; philosophica aeque ac critica, instrumentorum vice et veluti adminicula, in efferendis ex scripturae verbis propositionibus, locum habere posse. Itaque non nisi vnum, vt se iam oratio eo vnde digressa est referat, est Theologiae reuelatae principium. Neque istud assertum ita est interpretandum, vt eo saltem principia quae ab auctoritate pendent excludantur; qua propositiones autem philosophicas, quae in theologicis argumentis afferri assolent, limitetur. Sed, siue ad ea quae ex auctoritate pendent; siue ad philosophica istud assertum transferas, verum omnino est. Atque adeo ex hac asserta principii in Theologia reuelata vnitate, arguitur Philosophiae abvsus, quando ea et ipsa Theologiae sanctae principium cognoscendi, quocunque tandem nomine id fiat, constituitur. Ergo iure meritoque nostrates damnant TAVRELLI scitum, quo *Philosophiam fidei fundamentum* dixit. Recte etiam negant, Philosophiam scripturae interpretem esse oportere: quoniam eo cognoscendae Theologiae principium constitueretur, ac inde consequeretur, vt Theologia nihil aliud sit, quam Philosophia argumentis spiritualibus et scripturae applicata. Est autem grauissimus ille error propositus in libro, qui hunc ad modum inscribitur: *Philo-*

sophia scripturae interpres, exercitatio paradoxa, Eleutheropoli, id est Amstelodami cIↃ IↃ LXVIIII (aa). cuius auctor LVDOVICVS MEYER, Amstelodamensis medicus, cui literarum cum SPINOZA commercium fuit, DECKHERO et aliis esse videtur. Refutarunt eam scriptionem GISBERTVS VOETIVS, SAMVEL MARESIVS; et ex iis etiam qui CARTESII scitis addicti fuerunt non pauci. LVDOVICVS WOLZOGENIVS autem, qui idem suscepit, non tamen omnino a MEYERO dissentire visus est. quem etiam eo nomine IOANNES VAN DER WAYEN notauit. II) Philosophiae est abusus, quando fidei mysteria ita ad rationis captum attemperantur, vt nihil iam mysterii adsit. Nam eo et ipso ratio Theologiae cognoscendae principium constituitur. Euenit tamen hoc non raro. Si enim quaesiveris, qui factum fuerit, vt funesta illa opinio: Dei verbo obiectiuam vnice vim esse; et illuminationem adeo ac conuersionem insitis vnice verbo Dei argumentis perfici: supernaturalem

(aa) Vid. PETRI DAHLMANNI *Schauplatz der masquirten und demasquirten Gelehrten, p. 386 et 387:* ac HENR. LVD. BENTHEIM *in dem Holländischen Kirch- und Schulenstaat, part. II, cap. II, par. IIII, p. 59, seq.*

turalem vero gratiae ſpiritus ſancti concurſum cum eodem verbo coniunctum non eſſe; nullamue ei eſſe vim ſubiectiuam; nullam quae *velamen detrahat* (bb): nullam quae *aperiat cor*, vt imis reponere ſenſibus Euangelii doctrinam poſſimus: nullam quae τὸ θέλειν, eleuata naturali repugnantia, efficiat: ſi cauſſam inquam, ob quam haec ſententia fuerit excluſa noſſe volueris: inuenies aliam nullam, quam vagam illam libidinem, ita fidei dogmata interpretandi, vel detorquendi potius, vt nihil comprehendant, quam quod ipſis ex Philoſophiis patet: atque vt ne vacillare iſtud Philoſophorum quorundam ſcitum videatur, quo mechanica mundi perfectio finis obiectiuus eſſe, cuius obtinendi ergo, haec ſit a Deo rerum vniuerſalitas molita et condita, perhibetur. Putant enim nonnulli, nihil quicquam ipſius ſancti flaminis in cordibus hominum effectioni tribui poſſe, quin inde portentorum etiam numerus plus iuſto augeatur. III) Quando miracula ad naturales referuntur cauſſas, id pariter Philoſophiae eſt abuſus: eo enim iniqua in reuelationem mens demonſtratur. IIII) Si quis ita inter ſe miſcuerit Philoſophiam et Theologiam reuela-

 tam,

(bb) *Pſalm. CXVIIII, 18.* Eſt autem TIRINVS, qui verbum גלה per *velamen detrahere* conuertat

tam, vt quando in hac versetur, philosophica argumenta, tanquam probationem a priori adhibuerit; ac his demum theologica argumenta subiecerit. Nam primo, quum vnicum sit Theologiae reuelatae principium cognoscendi, nempe scriptura sacra; intelligi non potest, quamobrem in ea pertractanda afferenda sint argumenta, alio ex principio ducta; siquidem domestica suppetunt. Deinde vero in fidei articulis, qui ignorarentur prorsus, nisi suppeteret volumen diuinorum librorum, id est puris, ne potest quidem demonstratio a priori et ex Philosophia afferri; nisi id, quod vnius reuelationis est, perperam Philosophiae tribuatur. In istis vero articulis, de quibus et rationi aliquid constat, potest quidem ita institui, sed non expedit. Quoniam inde plerumque euenit, vt in istis dogmatibus non iam distinguatur, quae sibi ea ex philosophicis constant; et qua plenius et quemadmodum fidei res ex scriptura cognoscuntur: nec qua vera et certa esse intelliguntur, affirmanturque propter demonstrationem philosophicam; et qua creduntur propter scripturae auctoritatem. de qua re antea dixi: atque, quoniam hoc ansam multis praebuit, Philosophiam in principiis Theologiae cognoscendae reponendi. V) Ex eodem Philosophiae abusu, alius nascitur, qui eo inest, quando sibi quis

quis persuadet: argumenta mere theologica adiectis philosophicis reddi firmiora. Est autem inter hanc persuasionem et assertum istud GOCLENII *Philosophiam fidem stabilire*, quaedam pariatio. Sed istud scitamentum diuinae sacrarum literarum auctoritati minime respondet; nec cum ea potest consistere. Itaque tenenda ista Theologorum regula: *Per quod medium fides excitatur, per idem ipsum confirmatur* (cc): non autem Philosophia, sed Dei excitatur verbo (dd). ergo ex Dei etiam verbo erit confirmanda

XI

VT ne itaque vlla ex parte errès, atque istud MEISNERI non *fruendum*, sed *vtendum* Philosophia esse penitus intelligere possis: quasdam nunc de iusto Philosophiae in Theologia vsu consectando, eiusque in hac abusu fugiendo, admonitiones et hortamenta quaedam adferam. Est autem cauendum, ne quis, nimio ductus veterum Philosophorum amore, aeque istam accurationem ferat, ad quam hodie Philosophia praestantissimorum virorum auspiciis et dexteritate in multis adducta est: adeoque potius recentiorum Philosophorum odio, quam ipsa

(cc) MEISNERVS *in Phil. sob. p. 38* (dd) *Rom. X, 17.*

ipsa re ductus, aduersus Philosophiae in Theologia abusum declamet: aut prorsus, vt ne necessum habeat Philosophiam recentiorem in theologicis tanquam aliquod adminiculum ferre et adhibere, iustum etiam omnis Philosophiae in Theologia vsum repudiet ac damnet. Iam vniuerse ad iustum vsum Philosophiae in Theologia damnandum, inprimis comparatus est grauis ille error, quo ratio et Theologia in pugnantibus reponuntur. Eo enim admisso, statim etiam dandum, Philosophiam nullius esse in Theologia vsus posse. Itaque inanis illa opinio, hoc potissimum in loco videtur profligande esse. In eo autem suscipiendo, res fere omnis eo redit, vt probe ab se inuicem distinguantur, τὸ repugnare, et supra aliquam rem constitutum esse. Nam concedimus reuelationem in multis supra omnem rationis captum assurgere: sed negamus eidem eam repugnare. Nimirum ita se res habet. Veritas dupliciter potest considerari: est enim aut ipsa rerum natura, id est *obiectiua* ac metaphysica veritas: aut veri cognitio in subiecto cogitante, id est *subiectiua* veritas. Illa non potest non in Philosophia aeque ac in Theologia obtinere, ita, vt quod in Philosophia verum est, idem et verum sit in Theologia. Est enim veritas vna: nec potest id quod verum est, etiam non verum esse.

esse. Hinc sibi constat, inter reuelationis et rationis lumen, nullam esse pugnam posse. Iam haec, nimirum subiectiua veritas, ita est comparata, vt non semper quod verum est in Philosophia, etiam in Theologia valeat. Nam hoc in loco veritas ita consideratur, qua ex veri criteriis colligitur, aliquam cogitationem cum subiecto conuenire. Sed in nostro intellectu, quaedam eiusmodi veri criteria deprehenduntur, quae applicata ad Philosophiae obiecta verum metaphysicum ostendunt; translata vero ad Theologiam amittunt vim suam. Vnde afferitur istud alterum: nempe reuelationem in multis rationem vincere et transcendere. Atque ab eo pariter omnis pugna abest. Nam, quod quaedam veri criteria, quae valent in philosophicis, non valent in Theologia, id fit consentiente, vt ita dicam, Philosophia; vtpote quae ipsa in criteriis reuelationis reponit, vt se vincat. Praeter haec, si qua inde pugna oriretur, necessum foret, vt id, quod quaedam veri criteria, quae nostro insunt intellectui, suam vim in theologicis amittunt, veritatem etiam eius, quod secundum haec verum in Philosophia cognoscitur, tolleret. quod minime fit. Potest autem ea res etiam hoc modo demonstrari: veritates, quas sana ratio intelligit, aut *necessariae* sunt, aut *contingentes*. Illas revelatio vbique probat. Ergo qua illas, nulla repugnan-

pugnantia inter rationem et reuelationem esse potest. Ad has vero quae exigi non possint, revelatio affirmat. Sed sine vtriusque pugna. Ratio enim eas colligit ex eo quod ordinarie fit: nec negat, idem etiam aliter fieri, volente Deo, posse; id est, quae ratio de iis quae fortuita sunt, vera esse pronunciat, ea non vult *extensa ad extraordinaria*, vt MARTINI verbis vtar, *exempla, sed ad ordinarium duntaxat naturae cursum ea adstringit* (ee). Enimuero quando in sacris literis euenta commemorantur, quae ad contingentes in Philosophia veritates exigi nequeant, illa immediatae Dei effectioni tribuuntur. Itaque crematos non esse viros tres, licet ignis admotus fuerit, minime aduersatur ei, quando ignis res omnes, quae concipere flammas possunt, dicitur corripere: nec CHRISTVM esse ex virgine natum pugnat cum eo scito, quo negatur virginem parere posse: quoniam ea, quae ratio in his videt, non nisi de ordinariis euentis valent. Itaque ex diuersitate τοῦ repugnare rationi, et eandem vincere, perspicitur, vt iniquum sit, aliquam pugnam inter rationem et reuelationem comminisci velle. Neque tamen nulli eum errorem fouerunt. Namque DANIEL HOFMANNVS, IO. AVG. WER-

(ee) *In Phil. sobr. sect. IIII, p. 995*

WERDENHAGENIO et IOANNE MÜLLERO suffragantibus, Philosophiam Theologiae contrariam pronunciauit; eamque propterea vt carnis opus repudiandam esse censuit. vnde magna tum controuersia (ff) exorta fuit. PETRVS BAYLIVS, cuius iam supra mentionem feci, subinde rationem reuelationi opposuit; rationisque aduersus reuelationem dubia exaggerauit. quo ipso videtur occulte revelationem suspectam reddere voluisse. Suscepit autem eius in hac caussa refutationem G. GVIL. LEIBNITIVS in *discursu de conformitate fidei et rationis*, Theodiceae praemisso. Poterit huc etiam aliquo modo referri PETR. DAN. HVETIVS, quod in opere postumo, cuius index est: *Traité philosophique de la foiblesse de l'esprit humain*, totus in eo est vt demonstret, omnia in Philosophiis incerta esse, et ab vna fidei doctrina praesidium in scientiis repetendum esse. Quaedam eius argumenta discussit ISRAEL THEOPH. CANZ (gg). At enim vero committendum non est, vt magnus etiam

(ff) Vid. IO. GEORG. WALCHIVS in *historia Logicae*, *lib. III*, *cap. II*, *par. VI*, in *parergis* eius *academicis*, *p. 846*. Conf. BVDDEVS in *isagoge*, *lib. I*, *cap. IIII*, *p. XXIII*, *p. 234 et 235*

(gg) In libro *de vsu Phil. Leibn. et Wolf. in Theol. cap. II*, *par. XVIIII*, *seq. p. 19*, *seq.*

etiam LVTHERVS his annumeretur, qui Philosophiam et Theologiam in pugnantibus habuerunt. Quantumuis enim vir consummatae intelligentiae contra Sorbonam verbis vtitur his: *Non idem est verum in Philosophia et Theologia* (hh); eo tamen non ipsius Philosophiae, sed Aristotelicae Philosophiae; nempe qua praeiudicatis tum opinionibus erroribusque bene multis inquinata erat, cum Theologia repugnantiam innuit. Ipsam enim Philosophiam LVTHERVS minime odio habuit; sed potius eius, quando dextre adhibeatur, vsum cognouit (ii). Velim autem vt quemadmodum istum errorem,

(hh) In dissertatione: *num haec propositio sit vera in Philosophia: verbum caro factum est. op. Latin. Ien. tom. I, fol. 567.* Vniverse de eo, quidnam LVTHERVS de Philosophia senserit exposuerunt, CHRIST. AVG. CRVSIVS *in disquisitione an cum b. LVTHERO recte negari possit, idem verum esse in Philosophia atque Theologia.* quae Lipsiae edita est cIↃ IↃ ccXLV; ac HEVMANNVS *in actis Philosophorum, part. X, p. 588*

(ii) Ea est IO. GEORG. WALCHII de LVTHERO sententia. Postquam enim dixerat eum Aristotelicae Philosophiae contra dixisse, ita pergit: *Er war kein Feind der Philosophie an sich selbst, und hat nachgehends wohl erkannt, daß selbige, wenn sie gehöriger massen gebraucht und angewendet werde, ihren Nutzen habe,* in MART. LVTHERI *sämmtlichen Schriften, part. XVIII, in der historischen Einleitung in die Streitigkeiten LVTHERI, par. III, p. 12 et 13*

errorem, quo ratio reuelationi repugnare dicitur, de quo hactenus expoſui, ita vniuerſe omnia fugias ſcitamenta, quibus de dignitate ipſius Philoſophiae aliquid derogatur; quaeue aliquam eius deſpicientiam redolent. Nam et his iuſta eius in theologicis vſurpatio propeditur: quinimmo Philoſophiae contemtu via ad fanaticiſmum et enthuſiaſmum panditur. qui ſunt errores peſſimi; eſtque in ſe etiam turpe et iniquum Philoſophiam, quae eſt Dei donum longe praeſtantiſſimum, aſpernari. Inprimis vero tua cautio eſſe debet, vt ne illos conſequare, qui, quod ex abuſu Philoſophiae proficiſcitur, ipſi Philoſophiae tribuunt: ipſamque Philoſophiam in errorum cauſſis reponunt. abs quo plerumque non multum abeſſe ſolent, qui cum TERTVLLIANO (kk) Philoſophos *haereticorum patriarchas* conuocant

XII

CONTRA ea autem, cauto etiam opus eſt, vt ne, quo fugias quae Philoſophiae in Theologia vſui iuſto obſtant, in aliquem eius abuſum incidas. Eſt autem peſſimus fere Philoſophiae, aut eius potius quod Philoſophiae eſſe

(kk) In libro *aduerſus* HERMOGENEM, *op. pag.* 339, edit. Frobenianae cIↃ IↃL

esse videtur abusus, quando praeiudicatae opiniones et quorundam Philosophorum hypotheses, in sanctam Theologiam ingeruntur, ita vt scriptura ad eas vbique referatur. Eo enim non quidem nomine, sed re tamen ipsa, hypotheses principium interpretationis scripturae constituuntur: et, quum alii aliis hypothesibus faueant; multaeque hypotheses, quae se ante plurimis et cordatioribus etiam probauerant, iterum, susceptis nouis, repudientur; facile intelligi poterit, qualis interpretatio scripturae futura sit, si quisque eam ad suas hypotheses attemperare voluerit. Itaque ista hypothesis, qua asseritur, omnes omnium hominum animas a Deo intra ἑξαήμερον creatas, suoque inuolutas corpusculo esse, quae nihil quidem in se, quod repugnet, comprehendit; tamen transferenda non est ad sacrarum literarum interpretationem. Absonum enim foret, si quis verba CHRISTI: τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι (11), *quicquid procreatur ex natura hominis*, vt IACOBVS CAPELLVS reddit, *vitiosa*, id ipsum caro est, non de toto homine, sed de vno corpore exponeret, vt ne ei sententiae videantur aduersari, qua abs quibusdam negatur, animam, nullis partibus conflatam oriri ex parentum animis, iubente etiam Deo,

(11) *Io. III, 6*

Deo, posse. Τὸ enim σάρξ. abstracto vice concreti posito, irregenitum hominem, tum quae corpus, tum qua animam, indicat: vnde ei φρόνημα (mm) etiam atque νοῦς (nn) attribuitur. Itaque quoque nec ad NIC. COPERNICI hypothesin, quantumuis illa ad diluendas mathematicas quaestiones, perquam videatur apposita esse, scripturae effata exigenda erunt. Interim tamen IO. IAC. ZIMMERMANNVS et PETRVS MEYERLINVS, eam ex ipsa scriptura confirmare sategerunt. Sicco nunc pede *praestabilitam*, quam vocant, *harmoniam*, aliasque recentiorum hypotheses, quae in se spectatae vero videntur similes esse, praeteream. Optime autem euitare hunc errorem poteris, si in scriptura interpretanda subinde mediteris hermeneuticam praeceptionem hanc: non inferendum sensum in sacras literas, sed inde efferendum esse. Deinde vero, quemadmodum alii Philosophiae abusus omnes, quos antea enumeraui; ita inprimis ille, quo Philosophia cum Theologia reuelata penitus permiscetur, fugiendus erit. Equidem persuasum mihi habeo, multo plurimos ita non eo consilio instituere, vt de auctoritate scripturae aliquid detrahant: sed

(mm) *Rom. VIII, 7* (nn) *Col. II, 18*

quo, illatis in theologica scripta recentissimorum Sophorum assertis, aliquam illis nouitatis opinionem concilient. Vident enim, nihil iam magnopere placere, nisi quod aliquam nouitatis speciem habitumque prae se ferat: ac intelligunt etiam, si ex vna scriptura in Theologia reuelata deducendae sint theologicae propositiones, nihil fere adferri in medium posse, nisi quod iam apud optimum quemque ex vetustis Theologis reperiatur. Sed omnis est libido, noua in theologicis excludendi, compescenda: quod illa infelix subinde errorum mater exstitit. Alii eo nomine in ipsis dogmatibus Theologiae proponendis, multa Philosophorum placita admiscent, vt eo ipso Naturalistis obuiam eant. Sed eo male sibi consulunt. Nam multi ex Naturalistis hodie suum, de rationis ad salutem consectandam sufficientia, errorem, eo potissimum incrustare et obtinere tentant, vt, quae reuelationis sunt, rationi tribuant. Vnde se miris modis efferunt isto scito de fide vniuersali. quo sibi volunt hoc: saluum esse hominem euasurum, si, esse aliquod reconciliationis cum Deo medium, quale tandem cunque sit, credat. Nam ista assertio, fide hominem saluari, non ex rationis principiis cognita; sed sacris ex literis subrepta est: vniuersali autem fide id fieri posse, id est aliquid, quod eorum ingenio debeatur. Itaque inpri-

inprimis contra Naturaliſtas, quae ſint rationis, quae reuelationis, omni cum contentione et accuratione diſcernenda ſunt. quae diuerſitas, ſuſcepta Philoſophiae et Theologiae commiſtione, aut negligitur prorſus; aut non ſatis tamen accurate definitur. Ipſa autem Naturaliſtarum refutatio, non in tradendis dogmatibus Theologiae; ſed in polemica ſuſcipienda erit. Iam vt ab omni Philoſophiae abuſu tibi caueas, reputandum, ex eo nonnunquam graue iſtud damnum oriri, vt ea prorſus in dubium vocentur, quae quo fiant modo, intelligere ratio nequit. Id ipſum videre eſt in Socinianis, et ex parte etiam in Arminianis et Reformatis. Speciatim eius rei documento eſſe poſſunt LIBERII DE SANCTO AMORE, id eſt CLERICI (oo) Arminiani *epiſtolae theologicae*, quae prodierunt anno cIↃ IↃ C LXXVIIII; et quidem, vt index habet, *Ironopoli*. quod eſt nomen fictum: idem prodit IOANNIS LEONHARDI SCHMIDTII Pentateuchi interpretatio; cuius index eſt hic: *die göttlichen Schriften vor den Zeiten des Meſ-*

ſiae

(oo) Eſſe omnino CLERICVM harum epiſtolarum auctorem, praeter PETRVM POIRET, ADRIANVS BAILLETVS, in libro *des Auteurs deguiſez, p. 526*, affirmat. Alii tamen eas CLAVDIO PAIONIO et alii PHILIPPO A LIMBORCH tribuerunt

siae JESVS, *der erste Theil, worinnen die Gesetze des Iisraelen enthalten sind, nach einer freyen Uebersetzung, welche durch und durch mit Anmerkungen erläutert und bestätiget wird, Wertheim gedruckt durch* JOHANN GEORG NEHR, *Hof- und Canzley-Buchdrucker*, clɔ Iɔ cc xxxv (pp); et AVGVSTI GEBHARDI *vernunftmäßige Betrachtung der übernatürlichen Begebenheiten*, Amstelodami, id est, Berolini clɔ Iɔ cc XLIII. In qua scriptione conceditur quidem miraculorum possibilitas; sed negatur vnquam ea perpetrata esse: multa ex miraculis, quae in scriptura commemorantur, naturalibus caussis tribuuntur; et alia ad ea reiiciuntur, quae fieri non possint.

Dedit

(pp) Vt intelligas qualis ille liber prohibitus sit, quaedam eius verba ex paragraphi primae exordio adferam: *Alle Weltkörper, und unsere Erde selbst, sind anfangs von Gott erschaffen worden. Was insonderheit die Erde betrifft, so war dieselbe anfänglich ganz öde: sie war mit einem finstern Nebel umgeben, und ringsherum mit Wasser umflossen, über welchem heftige Winde zu wehen anfiengen.* Itaque comma istud, quod de tertia adorandae τριάδος persona, atque eiusdem in creanda vniuersitate negotio, agit, de venti flatibus SCHMIDTIVS interpretatur: quum tamen in textu Hebraico non vnice legatur רוח, sed רוח אלהים nec Dei spiritus dicatur פיח *flasse*, sed מרחפת, id est *vi* διαπλαστικῇ vel *formatiua*, vel vt CHRYSOSTOMVS interpretatur, ἐνέργειαν ζωτικὴν, *aquis incubuisse*

Dedit etiam alios errores Philosophiae abusus. Nonnulli enim Philosophia abutentes, eo processerunt dementiae, vt Christianam ac philosophicam pietatem vnum fere ac idem esse; et sanctum etiam spiritum per Philosophiam mentes hominum collustrare putauerint: vt BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS Reformatus, qui totidem verbis affirmat, *Deum lucem spiritus sancti sui per duas illas plane diuinas disciplinas Metaphysicam et Logicam in mentibus hominum accendere* (qq). Ex Philosophiae etiam in theologicis abusu videtur manasse erronea opinio haec: in sacra scriptura tradi multa ad erroneos vulgi conceptus accommodata. quae se multis ex CARTESII assecIis probauit. Descendit etiam in eam THOMAS BVRNETIVS, qui scribit: *MOSEN sequutum esse plebeium systema, quod populo placet, quod adblanditur sensibus*; aliique plures (rr). Alii, Philosophiae abusu inducti, capacitatem conuersionis, eamque proximam et adaequatam, homini concesserunt: alii in alios, propter

(qq) *In systemate theologico, cap. IIII, p. 57.* Vid. eundem *lib. I praecognit. Philos. cap. IIII, p. 80.* Refutarunt eum IO. GERHARDVS *in methodo stud. theol. sect. post. cap. II, p. 108*; et BALTH. MEISNERVS *in Phil. sobr. p. 34 et 35*

(rr) Vid. IO. GEORG. WALCHII *miscellanea sacra, lib. I, exercit. VI, p. 151 et 152*; edit. Amstelodami cIↃ IↃ cc XLIIII

pter eundem admissum errores, inciderunt. Ergo, vt ne et nobis graue quid inde eueniat, omnia arripiamus media, quibus Philosophiae abusus arceri potest. Inprimis subinde meditemur divi PAVLLI exemplum, idque nobis ad imitandum; non neglectis precibus, proponamus. Nam ille, licet minime rudis Philosophiae esset: siquidem Philosophiam et artes liberales in schola Tarsensi didicit; noluit tamen doctrinae fidei philosophicas demonstrationes intexere. cuius rei caussas in secunda ad Corinthios, capite II, commemorat. Symbolicos porro libros frequenter euoluamus; in quibus demonstratur, *de capitibus religionis nostrae tantummodo ex verbo Dei iudicandum: non ex supercilio humanae rationis et Philosophiae* (ss) *Corpus* etiam *doctrinae Iulium* inspiciamus ac legamus industrius, in quo negatur, religionem Christianam, hypothesibus inniti oportere (tt). Audiendus LVTHERVS, qui aduersus ERASMVM excipit, censendum non esse, *vt scripturae veritas et vtilitas pensanda et iudicanda sit, secundum sensum hominum.* Deinde ei alii scriptores ingenui, qui de fugiendo Philosophiae in Theologia abusu praeceperunt, erunt audiendi

CAPVT

(ss) *Solid. declarat. art. fid. art. II, p. 661*

(tt) *Die rechte Religion*, ita ipsa verba habent, *der wahren Kirche Gottes, stehet nicht auf eigenem Gutdünken menschlicher Vernunft und Klugheit, 1 Cor. II, par. II, p. 1*

CAPVT II

DE

VARIIS THEOLOGIAM PROPONENDI METHODIS

ΣΥΝΟΨΙΣ

I. *De methodo arbitraria*

II. *De catechetica methodo*

III. *De methodo biblica, et speciatim de* CLERICI *methodo historica*

IIII. *De systematica methodo generatim, et in specie de analytica methodo*

V. *De methodo foederali*

VI. *De methodo politica*

VII. *De demonstratiua mathematicaue methodo*

VIII. *De methodo comparatiua*

VIIII. *De paraenetica et paradigmatica methodis*

X. *De methodis Theologiae polemicae, rel.*

I

Hoc in loco de variis Theologiam tradendi methodis agere institui: quod earum cognitio apprime est necessaria Theologiam colenti; et quod, qui hac destitutus est, recte capere non poterit ea, quae consequenti capite de addiscendis singulis Theologiae partibus dicam. Recensebo autem primo methodos, quae aut ad vniuersam Theologiam; aut ad credenda et agenda, id est dogmaticam et moralem Theologiam; aut denique ad vnam dogmaticam spectant. Ac in his primo solet

commemorari *arbitraria methodus*. quo nomine innuitur hoc, quod multi ex ecclesiae doctoribus, praecipue quando symbola concinnarent, non eum sunt ordinem in scribendo sequuti, qui ad ostendendam dogmatum connexionem requiritur: sed, quum id vnice agerent, vt obuiam irent erroribus, ipsa dogmata ita collocarunt, quemadmodum sè quodque illis, ad vindicandum ab aduersariorum obiectionibus, offerret. Ea etiam methodus tum, quum ecclesia repurgaretur, denuo est vsurpata. cuius rei documento esse potest Augustana confessio. At enim vero, quum lucidus ordo, vt omni in re, ita etiam in proponendis Theologiae dogmatibus, magnam vtilitatem afferat, facile intelligitur arbitrariam methodum, qua ille negligitur, consectandam non esse

II

CATECHETICA METHODVS ea est docendi ratio, qua in Theologia catechetica, de qua infra dicam, vtimur; nempe eo inest, vt omnia planissime et simplicissime per quaestiones et responsiones, siue dialogum, proponantur. Iam, quum ea ad instituendum iuniores et rudiores comparata sit: non videtur ei in alia quam exoterica Theologia locus esse. Interim tamen nonnulli in acroamatica etiam Theo-

Theologia eam adhibuerunt: vt CONRADVS DIETERICVS in *Institutionibus catecheticis*, Francofurti cIↃ IↃCC XLII editis: IO. CONRADVS DANNHAVER *in der Catechismusmilch, oder der Erklärung des Catechismi.* qui liber decem partibus prodiit Argentinae cIↃ IↃ C LXXX; ac IACOBVS SAVRIN Reformatus *in abrege de la Theologie de la morale en forme de catechisme*, cuius conuersio Teutonica euulgata est Chemnicii cIↃ IↃ CC LIII

III

BIBLICA *methodus* vniuerse eo inest, quando in Theologiae pertractatione, nec termini philosophici, nec philosophica nectendi ratio, adhibentur: sed ea ita instituitur, vt omnia ad biblicam docendi rationem exigantur, et loquutiones etiam biblicae seruentur. quam vnam biblici, quos vocant Theologi, sunt consectati. Atque haec ea est ratio theologica proponendi, quam praeco diuini verbi pro concione, in erudiendis his, qui se a confessionibus et cura animae habent; et in agendo cum his, qui grauissima valetudine vexantur, adhibere debet. adeoque non potest non probari. Ac ego quidem valde cum MOSHEMIO (a) cuperem, in nostris

(a) *In der Anweisung, die Gottesgelartheit vernünftig zu erlernen, cap. II, par. II, p. 106*

noſtris Academiis, praeter hos qui ſyſtematice Theologiam docent, etiam alios conſtitui, qui eandem biblice tradant; vt ne miniſtri diuini verbi, eius methodi rudes, quando biblice dicendum eſt, ſyſtematice dicant. Interim tamen haec methodus tum demum videtur conſectanda eſſe, ſi iam ante dogmata Theologiae ſyſtematica didiceris methodo. de qua ſtatim dicam. Peculiaris quaedam biblicae methodi forma eſt ea, quam CLERICVS *in epiſtolis theologicis* (b) commendauit; quaeue *hiſtorica* ſolet *methodus* dici. Eſt eius ratio haec, vt dogmata Theologiae eo ordine proponantur, qui in ſacris pandectis obtinet. adeoque ſecundum hanc primo agendum eſſet de creatione; deinde de labe primorum hominum; de Meſſiae promiſſione ante Prophetarum tempus facta: de vaticinationibus Prophetarum de eodem; de eius aduentu, rel. quod inſtitutum et ipſum in ſe, et ſi dextre ſuſcipiatur, non poteſt culpari: ſed id tamen incommodi habet, vt eadem non raro videantur repetenda eſſe; ac liber hac ratione compoſitus ſua procul dubio mole laboraret. adeoque hiſtorica methodo non conſulitur his, qui ſunt in addiſcendis Theologiae dogmatibus conſtituti

(b) *Epiſtola VII*, quae agit *de inſtitutionis theologicae ordine et methodo*, p. 175. *ſeq.*

IIII

SYSTEMATICA *methodus*, vniuerse spectata, in eo reponitur, quando capita alicuius disciplinae generaliora, ac singulae eius veritates eo ordine proponuntur, vt nexus potissimum, qui est inter ipsas veritates, ratio habeatur; et ipsa tractatio ad demonstrandam earum compagem instituitur. Itaque vbi nexus inter veritates suppetit, ibi systematicae etiam methodo locus erit: iam ille in Theologia reuelata deprehenditur; omnia enim quae ea continentur eundem finem respiciunt. ergo etiam ad hanc transferri poterit. Si autem finiendum est, num etiam e re Theologiae sit, vt id fiat; considerandus est modus, quo ad Theologiam referatur. Nam si id ita fiat, vt systematica methodus per omnia Theologiae attemperetur; id est, si id ea ratione instituatur, vt sibi inde constet, quae sit dogmatum omnium et singularum veritatum in Theologia coniunctio: nec quicquam eo nomine in Theologiam importetur, quod ab eius indole et natura alienum sit: aut quod non sit methodi systematicae per se, sed earum disciplinarum, in quibus subinde vsurpata fuit; vtique affirmandum est id, quod quaestione continetur: sed negandum est idem, si id secus fiat. Nempe hoc mihi

hi volo: dextra eius in theologicis vsurpatio probanda; siniſtra autem reiicienda eſt. Atque iuſtam eius vſurpationem in Theologia ſuadet hoc, quod ea efficitur, vt facilius animo comprehendi dogmatum ſeries; errores ſtatim detegi, et retundi commodius poſſint. Nec quiſquam ex Theologis recte de religione ſentientibus, eam prorſus reiecit: qui enim in eius vſu quaedam notarunt, non vniuerſe methodum hanc, ſed ſiniſtram eius vſurpationem videntur improbaſſe (c). Contra ea autem CLERICVS atque Quakeri, inprimis IO. CONRADVS DIPPEL, qui eo de argumento cum IO. ERNESTO GERHARDO acriter decertauit, negarunt vniuerſe, ſyſtematicam methodum commode in theologicis vſurpari poſſe. Si autem cauſſas, ob quas id negauerint ſpectes, videbis, eas ab eius vſurpatione ſiniſtra et Theologiae parum attemperata, ac incommodis inde enatis, arceſſitas eſſe. quibus quando de recto eius vſu quaeritur nulla eſt vis. Videamus nunc de ea ratione ſyſtematicam methodum ad Theologiam tranſferendi, quae *analytica*

(c) Veluti MICHAEL NEANDER, qui ſolummodo contra huius apud ſcholaſticos abuſum videtur declamaſſe, quum eorum Theologiam artificioſam et φιλοσοφοτεχνοδιαλεκτικοθεολογικήν, probante MAIO, vocauit

tica dicitur *methodus*; vel etiam *Aristotelico scholastica*: quod ex ARISTOTELE petita et ab scholasticis primo in theologicis vsurpata fuit. Secundum hanc vero primo agitur de *fine* Theologiae *obiectiuo* et *formali*; vbi de Deo absolute et relatiue spectato, de Dei operibus, angelis, homine, prouidentia et de vita morteque sempiterna exponitur. Deinde *subiecti* Theologiae pertractatio consequitur. Atque hac in parte dogmata, de Dei imagine, peccato et seruo arbitrio traduntur. Tandem *media salutis* proponuntur: vbi primo de salutis nostrae *principiis*, de gratia Dei, de CHRISTO, et de spiritus sancti gratia applicatrice, dicitur: ipsa deinceps *media*, nempe verbum Dei et sacramenta considerantur: nec non *ordinis* media, in quibus sunt crux, oratio, ministerium ecclesiasticum, magistratus politicus atque ecclesia. quo etiam coniugium et nouissima referunt. Atque ea collocandorum locorum theologicorum ratio, licet optima non sit, tamen prorsus improbari nequit: quoniam ille, quem ea methodus exigit locorum ordo, facile animo et mente potest concipi ac comprehendi; atque consequutionis etiam aliqua videtur ratio reddi posse. Solet autem in ea methodo desiderari hoc: quod ex ordine, quo incedit, non intelligatur, vbi

potis-

potissimum de praedestinatione dicendum sit (d). Haec ad analyticam methodum spectabant, qua vnice in collocandis locis theologicis occupatur. Iam plerumque ad hanc methodum etiam refertur hoc, vt singula in cunctis locis ad seriem ductumque causarum, quae in topicis enarrantur, proponenda sint. quod minime conducit: quoniam eo termini extrarii et philosophici iusto plures in Theologiam importantur; ac quia propter istud institutum multa videntur dicenda esse, quae nihil ad rhombum pertineant; et omittenda autem, quae eius, quo omittuntur, loci fuissent. Interim tamen qui in nostratibus analyticam rationem Theologiae systematice tradendae sequuti sunt plerumque, vt vniuerse, ita etiam in dogmatibus secundum causarum genera pertractandis, adeo prouide sunt versati, vt inde, quod analyticam methodum adhibuerunt, nulla praescriptio aut profugium, quare illos non legeris, repeti possit. At enim vero, si analytica methodus eo modo adhibeatur in Theologia, vt PETRVS LOMBARDVS, THOMAS DE AQVINO et scholastici fere omnes, ea sunt vsi; nihil esse ea perniciosius, et quod magis sit ab sancta Theologia alie-

(d) Vid. BVDDEVS in *isagoge historico-theologica*, *lib. II, cap. I, par. XVII, pag.* 427

alienum potest. Hi enim suo in systemate Stagyritae placita, diuinis miscuerunt oraculis, et spinosis omnia terminis, inaniumque loquutionum colluuie inundarunt

V

METHODI *foederalis* et oeconomicae ratio est haec, vt dogmata Theologiae, e foederum Dei cum hominibus patratorum consideratione, repetantur; ac de iisdem eo ordine ac modo exponatur, quemadmodum apud Iureconsultos de foederibus agi solet. IOANNES est COCCEIVS, ad quem haec systematicae methodi ratio, (de ipsis enim foederibus diuinis iam ante COCCEIVM nonnulli ex instituto egerunt,) tanquam auctorem, referatur. Incidit autem in eam, quum repurgationem doctrinae caelestis ab scholasticorum nugis meditaretur; et quidem inde, quod existimauerat, oeconomiam foederum fundamentum Theologiae exegeticae esse. Ac ipse quidem COCCEIVS systema Theologiae foederali methodo non exarauit: sed eius tamen specimen dedit in *summa doctrinae de foedere et testamento Dei*. quae primum typis exscripta est anno CIↃ IↃCXLVIII: deinde vero IO. BRAVNIVS; HERM. WITSIVS, quorum libros in theticis adferam, aliique Reformati eo quo COCCEIVS volebat modo, systemata concinnarunt.

narunt. In noſtratibus etiam eam methodum probauit et conſectatus eſt SAMVEL PVFENDORFIVS in *iure feciali diuino, ſeu exercitatione poſtuma, de conſenſu et diſſenſu proteſtantium*, edito Lubecae cIↃ IↃ cXcV; ac inprimis IO. WOLFGANG. IAEGERVS in *compendio Theologiae per foedera*, aliiſque nonnullis ſcriptionibus. Iam quod ab ipſam methodum attinet, ea, ſi etiam omnes Cocceianorum errores ab eadem ſeiungantur, non tamen ſatis videtur commoda eſſe. Nam primo inter Dei et hominum foedera magna eſt diuerſitas; ita, vt quae de his valent, non ſubinde ad illa applicari poſſint; neque enim foedus gratiae diuinae conuentionem iuridicam, ſtipulationem et reſtipulationem, rel. admittit. Deinde vero ea methodus non omnia exhaurit, quae vniuerſa in Theologia, aut in theticа ſaltem proponenda ſunt: ſiquidem multa ſunt ſcitu et creditu neceſſaria, quae cum foederibus ex ſe nexa non ſint. adeoque, ſi haec methodus obtineret, aut omittenda in theticis, aut tanquam euicta ſumenda et intercalanda eſſent. quorum neutrum e re Theologiae foret

VI

METHODVS *politica* eo ineſt, ſi in proponendis Theologiae dogmatibus Deus vt monarcha, angeli vero et homines vt ſubditi conſideran-

derantur. Exornauit eam ISRAEL THEOPH. CANZ in libro *de regimine Dei uniuersali, siue de Iurisprudentia ciuitatis Dei publica*; qui excusus est Tubingae cIↃ IↃ cc xliiii. Procedit autem ea methodus ad hunc modum, vt primo de rectore ciuitatis: deinde de societatis et reipublicae diuinae ciuibus: porro de territorio ciuitatis diuinae; de ciuitatis diuinae iuribus; ac de ciuitatis Dei ratione status, dicatur. Habet tamen et haec ratio systematice Theologiam proponendi, quae minus experenda esse videantur. Nam primo ea, magna terminorum iuridicorum seges in theologicum agrum transfertur. Deinde vero ea non potest in theologicis vsurpari, quin allegoricis subinde loquutionibus immoremur. quod praecipue in theticis, minime expedit

VII.

DEMONSTRATIVA *methodus*, si ita finiatur, vt sit ratio conclusiones ex principiis, siue illa per se et sua natura; siue per testimonium scripturae sacrae, clara sint ac certa, legitime deducendi; easque ita inter se nectendi, vt inde vnius ad alteram relatio appareat; vtique in Theologia locum habet. Qua enim hoc modo finitur, nihil aliud est, quam species methodi systematicae; ac optima eam ad Theologiam transferendi ratio. Iam quando demonstratiua me-

thodus in Theolgia adhibetur, primo doctrinae Christianae capita eorumque sectiones et articuli, eum in modum collocanda sunt, quemadmodum nostra Christianismi dogmata cognoscendi et concipiendi ratio postulat; ac ita, vt subinde ex ipsa dogmatum inter se relatione ratio reddi possit, ob quam vnum caput alterum excipiat. Atque ego quidem putauerim in credendis id optime fieri posse, si capita et dogmata fidei eum ordinentur in modum, qui iam consequitur. Prolegomenorum Theologiae reuelatae caput I de necessitate et existentia reuelationis: caput II de reuelationis diuinae criteriis: caput III de scriptura sacra isto libro qui Dei reuelationem continet; sectio I de inspiratione et idiomate scripturae; sectio II de canone et canonica scripturae auctoritate; sectio III de auctoritate scripturae caussatiua fidei; sectio IIII de scriptura sacra tanquam principio cognoscendi Theologiam reuelatam. Theologiae reuelatae pars I de principio cognoscendi. Caput I de scriptura sacra: sectio I de diuina origine scripturae sacrae: sectio II de perspicuitate scripturae sacrae: sectio III de perfectione scripturae sacrae: sectio IIII de efficacia scripturae sacrae: sectio V de eiusdem auctoritate iudiciali. Caput II de scientia ex scriptura arcessita, siue de Theologia reuelata. Caput III de propositionibus ex Theologia

gia deriuatis, siue articulis fidei, et de fundamento fidei. Pars II de Deo salutis auctore. Caput I de cognitione Dei naturali. Caput II de cognitione Dei reuelata: sectio I de essentia et attributis diuinis; membrum I de nominibus diuinis, qua ex illis diuina potest essentia cognosci; membrum II de essentia et attributis diuinis; classis I de attributis Dei negatiuis, articulus I de Dei independentia, articulus II de eius infinitate, III de immensitate et omnipraesentia, IIII de vnitate Dei, V de simplicitate, VI inuisibilitate, VII aeternitate; classis II articulus I de spiritualitate Dei, II de intellectu Dei, III eius voluntate, IIII vita, V scientia, VI sapientia, VII omnipotentia, VIII veracitate, VIIII iustitia: sectio II de mysterio trinitatis; articulus I de mysterio trinitatis in genere; articulus II de aeterna filii generatione, eiusque deitate in hac fundata; III de spiratione spiritus sancti a patre et filio, eiusque deitate in hac fundata: sectio III de operibus diuinis; articulus I de creatione huius rerum vniuersitatis in genere; articulus II de rerum visibilium creatione; articulus III de creatione spirituum, siue angelorum; articulus IIII de angelis bonis; articulus V de angelis malis; articulus VI de hominis creatione; articulus VII de prouidentia diuina. Pars III de .ho-

mine ad aeternam beatitatem perducendo. Caput I de homine ad Dei imaginem condito. Caput II de homine peccatis infecto: sectio I de Adamitica labe: sectio II de peccatis in genere: sectio III de vitiositate innata: sectio IIII de peccatis actualibus: sectio V de servo arbitrio. Caput III de homine ad Dei imaginem restaurando: sectio I de principiis seu fundamentis gratiae Dei; membrum I de gratia Dei vniuersali erga totum genus humanum; articulus I de gratia Dei vniuersali in genere, articulus II de electione seu praedestinatione fidelium, articulus III de infidelium reprobatione; membrum II de CHRISTI merito vniuersali, articulus I de persona CHRISTI, articulus II de statu exinanitionis CHRISTI, articulus III de statu exaltationis CHRISTI, articulus IIII de officio CHRISTI mediatorio vniuersè ac speciatim de eiusdem officio prophetico, articulus V de officio CHRISTI sacerdotali, articulus VI de officio CHRISTI regio; membrum III de gratia spiritus sancti applicatrice, articulus I de gratia spiritus sancti applicatrice in genere, articulus II de gratia vocante, articulus III de gratia illuminante, IIII conuertente, V regenerante, VI iustificante, VII sanctificante, VIII renouante,

VIIII

VIIII de actionibus bonis et sanctis, X de gratia conseruante; membrum IIII de mediis gratiae diuinae, articulus I de mediis gratiae in genere, articulus II de verbo legis, articulus III de verbo Euangelii, articulus IIII de sacramentis in genere, articulus V de circumcisione veteris testamenti sacramento initiationis, articulus VI de agno paschali veteris testamenti sacramento confirmationis, articulus VII de lauacro salutari et sanctissimo sacramento noui testamenti initiationis, articulus VIII de coena dominica, sacramento noui instrumenti confirmationis; membrum V de ordine gratiae diuinae, articulus I de poenitentia, articulus II de fide in IESVM CHRISTVM: sectio II de iis qui ad gratiam perducendi sunt, id est ecclesia. Caput IIII de homine ad vitam sempiternam introducendo: sectio I de ingressu ad vitam aeternam, qui fit per nouissima, articulus I de morte temporali, articulus II de resurrectione mortuorum, articulus III de iudicio extremo et consummatione saeculi: sectio II de fruitione vitae aeternae, articulus I de sempiterna beatitate, articulus II de damnatione aeterna. Iam uero demonstratiua methodus non vnice in collocandis capitibus doctrinae diuinioris, sed in ipsa etiam locorum theologicorum pertractatione, si

ita vti dixi finiatur, commode adhiberi potest; et quidem hoc modo, vt in dogmatis cuiusque siue articuli pertractatione, afferantur scripturae loca praecipua, quibus veritates ad ipsum articulum pertinentes continentur; iisque, si necessum fuerit, breuis et succincta explicatio subiiciatur: vt ex his finitio dogmatis idonea effingatur; propositiones inde petantur, quae totidem verbis in illis habentur; ac illae etiam, quae non quidem qua verba, sed qua sensum tamen et virtualiter ipsis insunt, legitime ac secundum hermeneuticas praeceptiones inde deriuentur. qua in re λήμματα etiam philosophica, eo quo antea dixi modo, vsurpari poterunt; vtque singulae istae propositiones ita inter se nectantur, vt quae praecedit faciat ad intelligendum eam quae consequitur. Hic etiam videtur de *mathematica methodo* dicendum esse. cuius eadem quae methodi demonstratiuae ratio est. Ac iam SAMVEL PVFENDORFIVS sibi persuasum habuit, ea *litium* inter Christianos *incommodo remedium haud spernendum afferri posse* (e). Neque potest etiam vllo modo negari, eam multum vtilitatis in theologia habere,

(e) Scripsit haec, postquam DANIELIS HVETII *demonstrationem euangelicam* legisset, in epistola ad fratrem ESAIAM PVFENDORFIVM, de Theologia in formam demonstrationis redigen-

bere, si vnice reponatur in certa ratione, conclusiones, ex principiis, quae aut per se, aut per scripturae testimonium certa sint deductas, Mathematicorum more, id est ita nectendi, vt admissis his quae antecedunt, negari ea quae consequuntur nequeant. Nam hoc modo a demonstratiua methodo non discederet; esset que in systematicae methodi formis. Possunt etiam, fateor, termini nonnulli, quibus Mathematici vtuntur, ad Theologiam transferri: nam sunt etiam in theologicis propositionibus quae theoremata, corollaria, cet. dici possint; quemadmodum etiam obseruationes quae in theologicis asperguntur scholia conuocare licet. Sed ego quidem non video, quid inde in Theologia vtilitatis aut facilitatis emergere possit, si isti subinde termini vsurpentur. quare, quum vniuerse numerus terminorum philosophicorum, praeter necessitatem in Theologia augendus non sit, malim istos terminos in Theologia omittere. Id vero vsum non contemnendum

redigenda; eumque monuit, vt HVETIO significaret, se valde cupere, vt ille systema theologicum methodo mathematica conscriberet. Sed HVETIVS in literis, ad Marchionem DE FEVQVIERES anno CIↃIↃCLXXXI datis, demonstrauit, eam rem multo plurimis difficultatibus premi. Vtramque epistolam in *actis eruditorum, supplem. tom. II, sect. II, p. 98* et *p. 201*, inuenies

praestat, quando ea, quae in antecedentibus dicta sunt, et faciunt ac intelligendum et probandum id, de quo iam agitur, excitentur nude et allegentur; vt ne eadem res iterum sit iterumque adferenda. quae allegatio veluti proprium quid mathematicae nunc methodi esse videtur. Interim tamen in eo etiam modus erit seruandus, vt ne lector subinde euoluendo antecedentia defatigetur. Iam ex his quae hactenus dixi intelligi poterit, eos, qui negant, mathematicam aut demonstratiuam methodum, si ita quemadmodum feci finiatur, in Theologia vsurpari posse, potius nominis nouitate, ac nescio qua invidia eo adductos esse, quam ipsa re. Verum enim vero, si in demonstratiuae vel mathematicae methodi finitione sumatur, eam non nisi principia per se euidentia admittere, nego ac pernego, eam quocunque nomine veniat, in Theologia locum habere. Iam Celeberimus CARPOVIVS diserte eloquitur: demonstratiuam siue mathematicam methodum, perinde enim est, non nisi euidentia (nempe per se) cognoscendi principia admittere; eoque etiam nomine ab systematica eam discernit (f). Itaque caussae afferendae sunt, ob quas mathematica

(f) In *commentationis de applicatione methodi scientificae ad Theologiam reuelatam, specim. I, par. V, p. 5*

tica methodus, si vnice euidentia per se principia admittere affirmatur, in Theologia reuelata obtinere non possit. Obstat autem hoc, quod, si concedatur eam ita definitam in Theologia locum habere, aut sumendum esset, in principio Theologiae cognoscendae, nempe scriptura sacra, nulla effata occurrere, nisi quae per se suaque natura euidentia sint: aut concedendum esset, principia cognoscendi philosophica, in Theologia etiam reuelata rationem principiorum cognoscendi habere. Iam quod ad primum attinet, nemo id affirmabit, qui quid sit euidens (g) ex se considerauit. Nam *principiorum euidentia*, BVDDEI verbis vtar, *quum ex euidentia idearum oriatur, in mathematicis quidem eam summam esse oportet; at minime in theologicis, vbi in rebus supra rationem positis, euidentia obiecti, et adeo idearum frustra quaeritur, res contra omnis ad euidentiam testimonii redit; quemadmodum rursus in hac interpretatio*

et

(g) CHRIST. GOTTL. CLVGIVS το euidens ad hunc modum finit: *Euidens dicitur id abs quo dissentire non possumus, perceptis vocabulis ac rationibus, quae ad assensum mouent, in singularibus Theologiae Carpouianae, part. II, cap. IIII, par. VI, p. 102.* vbi etiam ostendit scientiam et Theologiam reuelatam ratione *principii, obiecti, formae* et *finis* differre

et ἀπόδειξις scripturae sacrae vtramque facit paginam (h). Istud alterum vero committendum non esse, ex iis intelligitur, quibus supra demonstraui, scripturam sacram vnicum esse Theologiae cognoscendae principium. Itaque fatendum, demonstratiuam et mathematicam methodum, si in euidentibus vnice principiis obtinere existimetur, ad Theologiam transferri non posse. Quae quum ita sint, facile perspici potest, quanta cum calamitate fundi theologici coniunctum sit, si methodus mathematica ab his in theologicis adhibeatur, qui volunt, in euidentibus vnice ei locum esse. Hi enim plerumque, nisi eo dementiae procedunt, vt multa ex his, quae in fidei articulis euidentia non sunt, ita detorqueant, vt tamen euidentia esse videantur; ad minimum tamen definitiones, axiomata cum postulatis et experientiis Philosophiae in Theologia eodem loco, quo effata scripturae habent; eaque specialia Theologiam cognoscendi principia esse putant. Vt ne in tota autem, quam hactenus differui caussa, exem-

pla

(h) In *isagoge lib. II, cap. I, par. XVII, p. 433.* Scripturae loca, quae ad eam rem probandam faciunt; CHYTRAEI item BALDVINI atque aliorum de eadem sententias, CLVGIVS l. c. *par. V et VIII* excitauit

pla desint, quaedam nomina eorum qui dextre, ac eorum, qui siniſtre demonſtratiua siue mathematica methodo in Theologia vſi sunt, adferam. In illis sunt, IO. GVSTAVVS REINBECK, ISRAEL THEOPH. CANZ, CHRIST. AVG. REVSCH et IO. ANDR. BVTTSTET; vtpote qui ita hanc methodum ad Theologiam applicarunt, vt eius finitio, quam primo loco adduxi, fert; eoque magnam apud cordatos omnes nominis celebritatem sunt conſequuti. Contra ea autem praue eam et peruerſe conſectati sunt, BENEDICTVS DE SPINOZA in *ethica ordine geometrico demonſtrata* (i): IO. CRAIG in *Theologiae Chriſtianae principiis mathematicis*; atque AVG. GEBHARDI in *cogitationibus de vſu methodi ſcientificae in Theologia reuelata*, Amſtelodami aut potius Berolini cIↃ IↃ CC XLIII editis. vt nunc iam non dicam de his, qui myſterium trinitatis mathematice demonſtrare inſtituerunt

VIII

(i) Opera Athei huius poſtuma, in quibus ethica etiam eſt, prodierunt Amſtelodami apud IOANNEM RIEVWERTS cIↃ IↃ C LXXVII; ſed sine loci et Typographi commemoratione. Vitam ipſius deſcripſit IO. COLERVS *in der Wahrheit der Auferſtehung CHRISTI wider* SPINOZAM, *nebſt deſſen Leben.* quae tranſlatio prodiit Lemgouiae cIↃ IↃ CC XXXIII

VIII

ANTEQVAM hinc discedam videtur omnino commemoranda esse *methodus comparatiua*. cui inde nomen est, quod versatur in comparando inter se fidei articulos, et in diiudicando, quaenam doctrinae diuinioris capita prae aliis sint creditu necessaria. Vnde etiam, quando istaec methodus ad dogmata Theologiae applicatur, ipsa Theologia comparatiua dicitur. Quoniam vero illi, qui hanc methodum commendant, concordiam inter dissentientes Christianos intendere volunt videri, Theologia comparatiua methodo pertractata, *pacificae* etiam Theologiae nomen apud ipsos obtinuit. Primus autem huius methodi assertor esse videtur IACOBVS GAERDENVS. cuius *Theologiae pacificae fundamenta*, seu *Theologiam comparativam*, PETRVS POIRET in *bibliothecam mysticam* Amstelodami cIↃ IↃ cc XLII editam, transtulit. Atque GAERDENVS quidem omnem religionis essentiam, quocunque in statu hominem consideres, in sola summi Numinis dilectione, repositam esse putat. Deinde affirmat, interno opus esse lumine; ac reuelationes per Prophetas CHRISTVM et Apostolos factas, ad modum docendi crassum et corporeum refert; qui propterea institutus sit, quod irre-

geniti

geniti lumen internum ob passionum tumultum, vix sentire possint (k). Hinc vero iam intelligitur methodum comparatiuam, eo modo quo GAERDENVS fecit, in Theologia vsurpari non debere: quoniam GAERDENI systema impuriorum mysticorum doctrinam redolet. Deinde vero, nec propterea haec methodus, ea qua GAERDENVS voluit ratione, adhiberi potest: quod ea adeo prorogarentur ecclesiae pomoeria, vt ad eam referri possint etiam hi, qui saltem in quibusdam vniuersalibus doctrinae sanctioris capitibus vtcunque nobiscum consentiunt. Nam GAERDENVS multa fidei dogmata omisit; de aliquibus parce et ambiguis expositit verbis; et plurima in his reposuit, quae salua salute ignorari possint. Enimuero vniuerse iste modus dissentientes in doctrina Christiana conciliandi, vt concedatur creditu ad salutem necessaria non esse; nec factu necessaria esse saluandis, quae tamen sunt; vtque errores admittantur, fugiendus est. Eis enim inter dissentientes induciis, via ad διαφοραν religionum sternitur. Atque hoc institutum iam ante GAERDENVM SIMONI EPISCOPIO Arminiano se probasse, ex historia

(k) Vid. IO. GEORG. WALCHIVS in *miscellan. sacr.* *lib. III, exercit. VI, par. XVII, p. 699 et 700*

ſtoria vitae ipſius, quam perſcripſit PHILIPPVS A LIMBORG, et ipſe Arminianus, intelligitur. Hodie vero idem molitus eſt IO. MICHAEL A LOEN in *der einzigen wahren Religion*, Francofurti cIↃ IↃ CC L. Itaque methodum comparatiuam, vt iam eo vnde diſceſſi redeam, eo modo quemadmodum GAERDENO viſum fuit, nemo adhibere poterit, quin ſe in grauiſſimos errores praecipitet. Quodſi vero myſticorum impuriorum ſenſa, ac pruritus ſiniſtre conciliandi diſſentientes, ab ea ſeiungantur; eo vnice inerit, vt articuli fidei fundamentales a non fundamentalibus; et in fundamentalibus primarii ab ſecundariis diſtinguantur. Iſta vero comparatio in ſingulis Theologiae pertractandae methodis rectis inſtitui poteſt: omnis enim Theologia partite propoſita ſubminiſtrat criteria, vnde fundamentum fidei ac dogmatum pondus intelligi poſſit. Ergo ſi naeuos a comparatiua methodo diuellas, non iam peculiaris methodus Theologiae tradendae videtur eſſe. atque adeo ipſius potiſſimum Theologiae deprauatio nomine methodi comparatiuae venit. Quod niſi ita ſe haberet, non neceſſum habuiſſet GAERDENVS differentiam (1) agnoſcere inter *abſolutam* orthodoxamque

(1) Ad intelligendum in quo eam reponat GAERDENVS Delio natatore opus eſt. PETRVS POIRET

xamque Theologiam, ac suam *comparatiuam*. Si enim ipsorum sensa absint a comparatione articulorum fidei; nec differentia illa adest. Nihil enim ista comparatione in Theologia mutatur. Haec de comparatiua methodo dixisse sufficiat. Poteram hoc etiam in loco mentionem facere methodi *dogmatico-polemicae*, quae et ipsa in se peculiarem methodum constituere non videtur: quocunque enim ordine dogmata Theologiae proponantur, cuique errorum ad istud pertinentium commemorationem et refutationem subiicere licet. Quantumuis vero istud institutum multum videatur facere ad facilius refutatione defungendum; tamen praestat separatim de polemica Theologia agere: quod in multis erroribus eleuandis, non solum contra eos in se spectatos, et qua dogmati cuidam aduersantur; sed contra totum aduersariorum systema contendendum est. Ita quoque methodus *dogmatico-practica*, peculiaris ratio tradendi Theologiam dici nequit: quod nulli per se methodo repugnat, dogmata ad vsum transferre: sed expedit tamen Theologiam moralem separatim addiscere; vt, qui sit capitum Theologiae moralis nexus commodius perspiciatur

VIIII

RET tollere eam voluisse videtur. Vid. WALCHIVS l. c. *par. XVI*, *p. 698*

VIIII

QVANTVMVIS multae ex his methodis, de quibus hactenus dictum fuit, ad agenda etiam pertineant; tamen speciatim quaedam de modo agenda tradendi, videntur adferenda esse; quum nonnullae sint methodi, quae vni doctrinae morali conueniant; in quibus est *paraenetica methodus.* qua diuina morum praecepta, sententiis proponuntur acutis, grauibus, sublimibusque. Et habent omnino sententiae et apophthegmata id commodi, vt non modo ob acumen et sensum ipsis reconditum, percipiantur lubentius; sed vt penitius etiam demittantur in animum; ac subinde recenti versentur in memoria. Specimina huius docendi rationis sunt SALOMONIS proverbia, ecclesiastes, liber sapientiae ac IESV filii SIRACHI scriptio; item BASILII magni ethica, rel. (m). Deinde methodus *paradigmatica.* quando propositis in exemplis, quid iustum sit ac a Deo praeceptum, quid non, ostenditur. Et ea insignis omnino et egregia est: quoniam nihil magis appositum est ad flectendum et versandum animum, ipsis exemplis. vnde etiam in sacris pandectis, dogmatibus subinde res gestae aduer-

(m) Vid. GEORGIVS PASCHIVS *de variis modis moralia tradendi, cap. IIII, par. X, p. 380*

aduersae sunt; ac Apostolus PAVLLVS diserte suum exemplum nobis ad imitandum proponit, 1 Cor. XI, 1; 2 Tim. III, 10. Multi etiam in ecclesiae patribus hac sunt methodo vsi, veluti IVSTINVS martyr, GEORGIVS Nazianzenus et alii. Etiam vero atque etiam hac in methodo cauendum, vt ne futiles anilesque fabulae exemplorum vice adferantur. in quo Pontificii vt plurimum labuntur. Hae autem methodi, licet vniuerse in asceticis insignes sint; nihilo tamen secius alia erit consectanda ei, qui cognoscere agendorum compagem volet; nempe systematica et speciatim demonstratiua, de qua iam dixi secundum quam non modo singula officia Christianismi eum in ordinem rediguntur, vt vnum cognosci ex alio possit: sed etiam ante quam id fiat, agitur de momentis voluntatis, quae hominem ad pietatis studium excitare debent: ostenditur, hominem viribus sancte viuendi destitutum esse; demonstratur, quomodo gratia Dei eo hominem perducit, vt sanctam vitam agere possit: media proponuntur, quibus Deus hominem idoneum reddit ad suscipiendum actus bonos; quibusue eum in pietatis studio confirmat. Ceterum in agendis etiam commode vsurpari potest ratio docendi per dialogos; et possunt quoque agenda

per parabolas proponi. quae methodus vsu recepta fuit apud Orientis populos, et ipsi etiam CHRISTO se probauit

X

PERGO ad Theologiam polemicam, in qua tradenda alii ita versati sunt; vt originis potissimum ac progressus errorum habuerint rationem; et adduxerint solummodo scriptores, qui iis obuiam iuerint: alii vero ita de ea exposuerunt, vt, missis historicis, toti in errorum refutatione fuerint. Illam methodum *historicam* dicunt; hanc *dogmaticam*. *Historia ecclesiastica*, vt ad hanc transeam, facile intelligitur eo ordine proponenda esse, quo res notatu dignae in ecclesia euenerunt. Itaque in veteri testamento describenda est secundum praecipua rerum gestarum interualla et epochas potiores: in nouo autem instrumento saeculorum inprimis consequutio respicienda est. Iam in reliquis Theologiae partibus, quas statim enumerabo, nulla est de methodo vsurpanda lis; sed vniuerse optima eas tradendi ratio in eo reponitur, si omnis tractatio eo ordine ac modo procedat; quemadmodum fert noster vnum ex alio concipiendi modus

CAPVT

CAPVT III

ORDINEM ET MODVM TRADIT QVO SINGVLAE THEOLOGIAE PARTES ADDISCENDAE SINT

ΣΥΝΟΨΙΣ

I. *Singulae Theologiae partes enumerantur*

II. *Oſtenditur a dogmatica ordiendum eſſe Theologiae ſtudium*

III. *Traditur dogmaticae Theologiae hiſtoria: ratio eius addiſcendae demonſtratur, et recenſentur libri dogmatici potiores*

IIII. *De libris ſymbolicis generatim, in ſpecie de ſymbolis, Apoſtolico, Nicaeno et Athanaſiano*

V. *De Auguſtana confeſſione, eiuſdem apologia, LVTHERI catechiſmis et formula concordiae*

VI. *De libris ſymbolicis particularibus eccleſiarum noſtrarum*

VII. *De LVTHERI ſcriptionibus legendis*

VIII. *De Patrum ſcriptis*

VIIII. *Quaedam praeceptiones ad ipſam lectionem librorum theologicorum ſpectantes proponuntur; ac de collectaneis etiam exponitur*

X. *Agitur de Theologiae moralis hiſtoria; eius addiſcendae modo et libris eo ſpectantibus*

XI. *De interpretatione ſcripturae*

XII. *De Theologia polemica*

XIII. *De hiſtoria eccleſiaſtica*

XIIII. *De Theologia paſtorali, caſuiſtica et Iurisprudentia eccleſiaſtica*

XV. *De Theologia homiletica*

XVI. *De Theologia catechetica*

I

Ex considerata, et maiori cum accuratione susceptа, methodi systematicae ad Theologiam applicatione, eiusdem suas in partes distributio accuratior videtur emersisse. Suasit enim ea, separatim agere de multis, quae antea dogmatum tractationi inserta fuerant. Sunt autem in principibus Theologiae partibus *dogmatica* et *moralis* Theologia; vtpote quibus fidei et morum praecepta comprehenduntur. Deinde exegetica Theologia, quam et *hermeneuticam* dicunt, eius omnino partem constituit: siquidem eius ope propositiones theologicae ex verbis scripturae eruuntur et demonstrantur. Est etiam Theologi munire sanctam doctrinam, aduersus secus sentientium insultus, posse: nec quisquam sibi vindicare amplissimum Theologi nomen potest, nisi sciat, quo tempore, quibusue auctoribus res notatu dignae in ecclesia euenerint; quando quoue modo, errores in ea sint suborti; ac quinam contra eorum assertores puram doctrinam defenderint. Ergo *polemica* etiam et *ecclesiastica historia* Theologia continentur. Iam ad ecclesiasticum munus recte subeundum requiritur, vt I) perspicias, quae sint eius partes. de quo *pastoralis* Theologia agit: II) vt speciatim calleas, quo sit cum his

modo

modo agendum, qui in aliquo Theologiae capite haesitant. quod *casuistica* ostendit: III) quomodo sententia in caussis, quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, in Consistoriis ferenda sit. quo facit *Iurisprudentia ecclesiastica*: IIII) quomodo res diuinae publice interpretandae sint. quod ostendit *homiletica*; et V) quomodo iuniores et rudiores in praecipuis fidei et morum capitibus instituendi sint. quod ex *catechetica* Theologia cognoscitur. Itaque ista singula in Theologiae partibus reputanda erunt. Est autem alii in aliis Theologiae partibus vlterius progrediendum: vt nempe illud, quod adspirat munus, exigit. Qui enim verbi caussa academicum munus suscipere, et in praelectionibus suis tradere Theologiam volet, necessum habet ex Patribus cognoscere, quam quodque dogma fortunam fuerit expertum. qua cognitione ille, qui non nisi pro rostris sacris res diuinas docere vult, carere omnino potest (a)

II

VNDE potissimum in Theologia perdiscenda ordiendum sit, non inter omnes constat.

(a) Quamobrem IO. LAVR. MOSHEMIVS in *der kurzen Anweisung, die Gottesgelartheit vernünftig zu erlernen*, peculiari in capite de Theologo nostri aeui exposuit

Sunt qui opinentur, vt in aliis pleriſque ſcientiis, ita in Theologia etiam expedire, fata Chriſtianiſmi ac hiſtoriam primo loco pertractaſſe. Sed iſta hiſtoriae eccleſiaſticae pertractatio, parum vtilitatis adferet Theologiae alumnis, niſi ante ſeriem dogmatum fidei animo comprehenderint; quo ad eam, quicquid in hiſtoria eccleſiae de quorundam aſſertis commemoratur, exigere; et diſcernere falſa a veris poſſint. Moralem Theologiam ante dogmaticam diſcendam non eſſe, infra vincam. Alii putant a lectione ſacrae ſcripturae, auſpicandum eſſe ſtudium Theologiae: quod illa peremnis fons eſt, ex quo Theologia eſt deriuanda ac haurienda. HIERONYMVS inprimis WELLERVS ac ABRAHAMVS CALOVIVS, eam in ſententiam conceſſerunt. IOANNES inſuper ANDREAS Hyperius ſecundo in libro de *Theologo*, ſiue *ratione ſtudii theologici*, conſilium dat Theologo futuro, vt auſpicetur Theologiae ſtudium, *ab ſacrorum librorum quos canonicos appellant aſſidua et pertinaci lectione* (b). quod, ſi de ea ſcripturae lectione, quae vniuſcuiuſque hominis eſt, intelligerent, large dandum eſſet. Quis enim dixerit, ei, qui Theologiam colere vult,

(b) Excitauit etiam iſta verba BVDDEVS, in *iſagoge hiſtorico-theologica, lib. I, cap. I, p. 14.*

vult, ante scripturam legendam non esse, quam theticam omnem didicerit? Sed, si hoc de ea scripturae lectione accipiant, quae Theologi est; vt nempe scopus et sensus verborum, secundum hermeneuticas regulas inuestigetur; indeque propositiones theologicae, secundum earum tenorem, deriuentur; minime ex vsu est, vt inde inchoetur Theologiae studium. Atque hoc omnino illi, quos nominaui, sibi videntur voluisse: vnde etiam IO. ANDREAS Hyperius verbis ante excitatis statim subicit haec: *Ad quorum intelligentiam accommodas notationes, siue obseruationes, (nisi quis vocare malit regulas,) non paucas congeram.* Caussae vero, ob quas, ab ista lectione occipiendum non est Theologiae studium, hae fere sunt: quod hermeneuticae praecepta subinde respiciunt dogmaticam et moralem Theologiam: nec adeo penitus perspici et commode in scriptura interpretanda videntur applicari posse; nisi ab eo, qui in his iam probe sit versatus; et, quod facile in sinistras interpretationes incidere potest ille, qui, qualis sit dogmatum theologicorum et officiorum etiam nexus, ignorauerit. Itaque dogmatica Theologia, vt et moralis, exegeticae est praemittenda

III

PRIMO itaque ad dogmaticae est studium incumbendum. Ac priscis quidem temporibus

dogmata fidei inter se colligata et in systema redacta non fuerunt. Errant enim procul dubio, qui opinantur, iam veteris instrumenti tempore systemata Theologiae suppetiisse; quoniam prouocant ad libros Patriarcharum nomine subiectos. Tertio quidem post CHRISTI natiuitatem saeculo ORIGENES, quatuor libris περὶ ἀρχῶν, quorum hodie non nisi Latina RVFINI conuersio exstat, pleraque fidei dogmata videtur comprehendisse. Sed tamen nec ordinem, nec formam systematis referunt. quare primus systemata Theologiae aggressus esse, quod LVD. ELLIES DV PIN vult, dici nequit. In catechesibus etiam quarti et quinti saeculi Patrum, ordo, qui systematis est, desideratur. Ab sexto autem inde saeculo inclinante, aliqua veluti accessio propior ad systema Theologiae videtur facta esse. Nam hoc saeculo non solum ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETIVS placita ARISTOTELIS in occidentali ecclesia disseminare coepit. cuius cum scitis, docendi etiam ratio systematica, qua vsus est, ascita, et deinde ab scholasticis, quos vocant, doctoribus, ad Theologiam sanctam translata fuit: sed fuerunt etiam iam tum, qui sententiis ex Patrum scriptionibus colligendis, et in certum quendam ordinem referendis, vacauerint: vt

ISIDO-

ISIDORVS Hiſpalenſis et LEONTIVS Cyprius. quorum ſcripta quae huc faciunt BVDDEVS (c) recenſuit. Septimo ſaeculo TACONEM, Epiſcopum Caeſar Auguſtanum, ita aliquid ex GREGORII magni ſcriptis conſarcinaſſe, quod ad ſyſtema dogmatum theologicorum quam proxime accederet, ex MABILLONIO cognoſcitur. Saeculo octauo, in orientali eccleſia, IOANNES Damaſcenus aliquod ſyſtema Theologiae in libris *de orthodoxa fide*, et quidem admota Philoſophia, molitus eſt. Inprimis vero PETRVS LOMBARDVS, qui ſaeculo duodecimo occidentali in eccleſia floruit, eum in modum, recens natis ſcholaſticis, ſententias ex Patribus lectas, in *quatuor libris ſententiarum* Geneuae cIↃ IↃ cxxx editis, concinnauit, vt primus aliquanto plenius et magis partite in ſyſtema redegiſſe dogmata videatur: ſed idem ſuum ſyſtema, adſperſis quaeſtiunculis inanibus et naeuis valde obfuſcauit. Ac vniuerſe per tres ſcholaſticorum aetates, non tam ſyſtemata vnius Theologiae; quam miſtae cum Theologia Philoſophiae Ariſtotelicae excluſa ſunt. Poſt repurgatam autem a LVTHERO eccleſiam, ſyſtema dogmatum Theologiae, reiectis ſcholaſticorum naeuis, ad ſummam ſenſim

(c) *In iſagoge lib. II, cap. I, par. VIII, p. 354*

sim accurationem euectum est. Atque systematica potissimum dogmatum fidei colligatio, dogmatica dicitur Theologia. de qua addiscenda quaedam nunc praecipiam. Videndum autem vt eiusmodi vtare compendio, id est systemate in compendium redacto, quod sua se breuitate, ordine recto, et perspicuitate etiam commendet; atque in quo singulis thesibus idoneae sint ex sacris literis probationes subiectae. Idem vt immune a naeuis sit et errorum labe necessum est. Ad modum vero quo dogmatica Theologia perdiscenda est, hae spectant obseruationes. I) Compendium theticae Theologiae, omni in vita non nisi vnum adhibendum est: vt eo commodius seriem dogmatum memoriae tradere possis; nec varius te diuersis in compendiis ordo turbet. II) Potissimum in eo est laborandum, vt quoquo de dogmate distinctam, et ex vna scriptura petitam, animo informes notionem; et dextre adeo quodque finire dogma possis: vtque III) de singulis fidei dogmatibus, vnum ad minimum ex vtroque foedere dictum ita teneas, vt statim quando aliquid probandum est, qua verba, et qua caput vbi habetur, occurrat. IIII) In auditionibus theticis tempus scribendo non est terendum: multum enim hoc auscultationi officit. Si autem quid, quod magnopere dignum notatu videatur,

deatur, dictum fuerit; domi id chartae illinere poteris. V) Quoad quis in thetico haeret compendio, nec ad colophonem id adduxit, a lectione aliorum librorum theologicorum abstinendum. Parum enim inde proficere poterit: quod penetrare ista quae legit et explorare non potest. Vnum autem systema dogmaticum plenius, et quod commentarii instar esse possit, adhibuisse iuuabit; in quo subinde id, quod in compendio ad finem adductum est caput, relegere et plenius inde intelligere possis. Sunt autem multo plures inter nostrates, qui de thetica Theologia exposuerint, et partim minora partim maiora et vberiora de eadem scripta dederint. Inter minora siue compendia potiora sunt haec. PHILIPPI MELANCHTHONIS *loci theologici*. qui primo sine autoris nomine Wittebergae cIↃ IↃ xx prodierunt, hunc praeferentes indicem: *loci communes rerum theologicarum; siue hypotyposes Theologiae.* Ac in prima ista editione, quam HERMANNVS VON DER HARDT in historiam literariam reformationis transtulit, nihil, vt LEONHARDVS HVTTERVS obseruat, occurrit, quod a fidei analogia discrepet; praeterquam haec vna MELANCHTHONIS assertio; *omnia simpliciter necessario euenire.* LEONHARDI HVTTERI *compendium locorum theologicorum, ex scripturis sacris*

sacris et libro concordiae collectum, Wittebergae cIↃ IↃ C X. quod iussu CHRISTIANI II compositum est, vt in locum libri MELANCHTHONIS, quo crypto-Caluiniani abutebantur sufficeretur: NICOLAI HVNNII *epitome credendorum*; siue, *kurzer Inhalt Christlicher Lehre*, Francofurti et Lipsiae cIↃ IↃ CC VIIII: GEORGII CALIXTI *epitome credendorum*, nouissime Helmstadii cum declaratione GERHARDI TITII cIↃ IↃ LXI prodiit. Sed caute iste liber, nec ante quam aliud didiceris compendium, legendus. Multa in eo BALTHASAR MENZERVS in literis ad WIDEBVRGIVM, ac alii, non praeter rem, notarunt. CONRADI HORNEII *compendium Theologiae*, *quo vniuersa fidei Christianae, tam credendorum, quam agendorum doctrina, tribus libris dilucide pertractatur*, Brunsuigae cIↃ IↃ C LV. quod, si abs quibusdam eius placitis immistis discedas, commendandum videtur esse. IO. HVLSEMANNI *breuiarium theologicum*, cuius *extensio* typis exscripta est Lipsiae cIↃ IↃ C XLVIII: IO. BENEDICTI CARPZOVII *systema theologicum*, Lipsiae cIↃ IↃ C XC: IO. FRIDER. KOENIGII *theologia positiua acroamatica*, Rostochii cIↃ IↃ CC XXXII; praestantissimus liber, in quo pertractando, adhiberi etiam poterit IO. CASP. HAFERVNGII *collegium theticum*, *hoc est*, KOENIGII

NIGII *Theologia positiuo-acroamatica succinctis annotationibus explicata et potioribus controuersiis illustrata atque lectionibus suis destinata*, Wittebergae cIↃ IↃ CC XXXVII: IO. GVILIELMI BAIERI *compendium Theologiae positiuae*. quod EX MVSAEI potissimum libris conflatum est. annotationes in id FABRICIVS dedit: IOACHIMI IVSTI BREITHAVPTI *institutionum theologicarum libri duo*; quorum prior credenda continet; posterior agenda, Halae cIↃ IↃ C XCV. inde postea theses erutae sunt, quas IO. CRASSELIVS conuertit: SEBASTIANI SCHMIDII *compendium Theologiae, in quo capita fidei iuxta cauſſarum seriem per theſin et antitheſin plene et perſpicue traduntur; ſcripturaeque fundamentis confirmantur*, Argentorati cIↃ IↃ C XCVII: IO. ANDR. SCHMIDII *compendium Theologiae dogmaticae*, Helmſtadii cIↃ IↃ CC IIII: HENRICI WIDEBVRGII *ſyſtema Theologiae positiuae*, Ienae cIↃ IↃ CC XXXVI: IO. ANASTASII FREYLINGSHAVSENII *Grundlegung der Theologie*, Halae cIↃ IↃ CC XLVII. ad cuius ductum SIGISM. IACOB. BAVMGARTENIVS *theſes* ſuas *theologicas*, quas FRID. BVSCHING lingua vernacula interpretatus est, comparauit: commentarium vero in eundem IO. IAC. RAMBACHIVS ſcripſit, quem CHRIST. HECH-

TIVS

TIVS Francofurti cIↃ IↃ CC XXXVIII euulgauit: ZACHARIAE GRAPII *compendium Theologiae positiuae vniuersae ex obligatione nostra erga Deum deductae*, Rostochii cIↃ IↃ CC VI: IO. GEORGII NEVMANNI *Theologia aphoristica*, ex auctoris manuscripto edita ab IO. GVIL. IANO Wittebergae cIↃ IↃ CC XXXV: IONAE CONRADI SCHRAMMII *principia Theologiae reuelatae*, Helmstadii cIↃ IↃ CC XXX: CHRIST. MATTH. PFAFFII *institutiones Theologiae dogmaticae et moralis*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ CC XXI: THEODORI THVMMII *synopsis praecipuorum articulorum fidei*, cum supplementis IO. CHRISTOPH. PFAFFII, Tubingae cIↃ IↃ CC XXI: IOACHIMI LANGII *oeconomia salutis euangelica in iusto articulorum nexu methodo demonstratiua digesta, et vti acuendo spirituali iudicio iuuandaeque memoriae; sic etiam Christianae praxi accommodata*, Halae cIↃ IↃ CC XXX: IO. FECHTII *compendium vniuersam Theologiam theticam et polemicam complexum*, cura IOANNIS HOXA, Seruestae cIↃ IↃ CC XLIIII prodiit: IO. FRIDER. BVRGII *institutiones Theologiae theticae*, Vratislauiae cIↃ IↃ CC XXXVIIII, cuius etiam Theotisca conuersio habetur: GEORG. HENRICI RIBOVII *institutiones Theologiae dogmaticae*, Gottingae cIↃ IↃ CC XLI; earum autem prior saltem pars prodiit;

prodiit; estque demonstratiua methodo scripta: IO. PETR. REVSCHII *introductio in Theologiam reuelatam; seu Theologiae reuelatae pars generalis*, Ienae cIↃ IↃ CC XLIIII: CHRIST. ANDR. BVTTNERI *cursus Theologiae reuelatae*, cuius prima pars, quae Sedini cIↃ IↃ CC XLVI euulgata est, Theologiam positiuo-polemicam, scientifica exhibet methodo: IO. GEORGII WALCHII *Einleitung in die dogmatische Gottesgelartheit*, Ienae cIↃ IↃ CC LVII: IO. ERNESTI SCHVBERTI *institutiones Theologiae dogmaticae*, Ienae cIↃ IↃ CC LIII; articulus autem de scriptura sacra, vt et locus de Deo, non hoc in libro, sed in viri S. V. *introductione in Theologiam reuelatam*, habentur: IO. FRANCISCI STAHLII *dogmatische Theologie*, Gelpherbyti cIↃ IↃCC LII: ISRAEL. GOTTLIEB. CANZII *compendium Theologiae purioris*, Francofurti cIↃ IↃ CC LVI: PETR. AHLWARDTI *Einleitung in die dogmatische Gottesgelartheit*, Gryphiswaldae cIↃ IↃCC LIII: IO. ERNESTI GVNNERI *institutiones theologicae methodo vti dicitur systematica; inter alia, ad vetustiores Theologos felicius intelligendos conscriptae*, Ienae cIↃ IↃ CC LV. Haec recensuisse compendia sufficiat. Pergo iam ad libros dogmaticos maiores; quorum illi qui antiquiores sunt, plerumque polemicam etiam Theologiam comprehendunt. Sunt autem et hi diuer-

sae molis: quare WALCHIVS duas illorum classes constituendas esse putat: ad alteram refert eos libros dogmaticae, qui reliquis antecellunt amplitudine et auctoritate: ad alteram vero, qui inter hos et compendia medium veluti tenent. quem lubens ordinem sequar. Ad primam classem praecipue pertinent, *loci theologici reuerendi et clarissimi viri, Dn. MARTINI CHEMNITII, S. Theologiae Doctoris atque ecclesiae Brunsuicensis quondam Superintendentis fidelissimi, quibus et loci communes D. PHILIPPI MELANCHTHONIS perspicue explicantur, et quasi integrum Christianae doctrinae corpus ecclesiae Dei sincere proponitur, opera et studio* POLYCARPI LEYSERI, Francofurti cIↃ IↃ XCVIIII. Nempe CHEMNITIVS, primum Wittebergae locos communes MELANCHTHONIS, ipso MELANCHTHONE *monente, et in difficilioribus operam suam liberaliter promittente, suis hypomnematibus illustrare aggressus est. Quae postea,* Brunsuigam *ad officium coadiutoris,* VT LEYSERVS in epistola dedicatoria refert, *vocatus, partim lectionibus ordinariis publicis, partim lucubrationibus priuatis ita dilatauit et locupletauit, vt in iustam commentariorum magnitudinem excreuerint.* Enimuero CHEMNITIVS locos omnes absoluere non potuit: sed negotiis ac infirmitate coactus, in loco de coniugio substitit. Poterant autem,

autem, quae desunt, magnam partem ex eiusdem *examine concilii Tridentini* suppleri. Atque primum hoc Theologiae purioris systema, non vno nomine commendandum est. Nam primo tricas apinasque scholasticorum, et omnem Philosophiae abusum, feliciter CHEMNITIVS euitauit: deinde, quae ex scripturae contextu collegit fideliter, ex perpetuo etiam orthodoxae antiquitatis consensu illustrauit: iusto omnia ordine prosequutus est: singulis locis controversiarum historiam praemisit. rel. ac vniuerse affirmari cum LEYSERO potest, *non exstare in hoc scriptorum genere laborem vllius, qui hunc vtilitate, rerum grauitate, et explicationis perspicuitate aequare, nedum superare possit.* Huc porro spectant, LEONHARDI HVTTERI *loci communes theologici, ex sacris literis diligenter eruti: veterum Patrum testimoniis passim roborati et confirmati ad methodum locorum* MELANCHTHONIS, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ LXI: IO. GERHARDI *locorum theologicorum, cum pro adstruenda veritate; tum pro destruenda quorumuis contradicentium falsitate, per theses neruose, solide et copiose explicatorum tomi VIIII*; ac eiusdem *exegesis; siue vberior explicatio articulorum de scriptura sacra, de Deo et de persona* CHRISTI, *tomo primo locorum theologicorum concisius pertractatorum, cura* IO. ERNESTI GEBHARDI,

Francofurti et Hamburgae cIↃ IↃ c LVII; plenum est et suis numeris absolutum systema. Exstat triplex eius epitome. ABR. CALOVII *Systema locorum theologicorum, e sacra potissimum scriptura et antiquitate; nec non aduersariorum confessione doctrinam, praxin et controuersiarum fidei cum veterum; tum in primis recentiorum pertractationem luculentam exhibens.* Constat hoc systema, caussali methodo exaratum, tomis XII. Tomus I, cuius in calce *digressio de noua Theologia Helmstadio-Regiomontanorum syncretistarum*, GEORGII CALIXTI, CONRADI HORNEII, MICHAELIS BEHMII, CHRISTIANI DREIERI et IOANN. LATERMANNI, a pagina inde IↃ ccc LXXXI habetur; et tom. II, Wittebergae cIↃ IↃ c LV; tom. III ibidem cIↃ IↃ c LVIIII; tom. IIII cIↃ IↃ c LXI, reliqui cIↃ IↃ c LXXVII, prodierunt. IO. ANDR. QVENSTEDTII *Theologia didactico-polemica; siue systema theologicum in duas sectiones, didacticam et polemicam* descriptum, Wittebergae cIↃ-IↃ c LXXXV. quae prima editio, potior est eis quae consequutae sunt. Est autem istud systema ad ductum *Theologiae positiuae* KOENIGII admistis controuersiis exaratum. Deuentum iam ad alteram maiorum librorum dogmaticorum classem, qua inferiora mole auctoritatem systemata continentur. Potiora quaedam recen-

recenſeam. Eſt in his IO. CONRADI DANNHAVERI *hodoſophia Chriſtiana; ſeu Theologia poſitiua, in certam plenam et cohaerentem methodum redacta*, Lipſiae cIↃ IↃ cc XIII: HIERONYMI KROMAYERI *Theologia poſitiuo-polemica*, Lipſiae cIↃ IↃ cc XI: IO. ADAMI SCHERZERI *ſyſtema Theologiae XXVIIII definitionibus abſolutum*, Lipſiae cIↃ IↃ cc IIII. Eſt autem id ita comparatum, vt cuiuſque articuli fidei tractatio omnis ex eiuſdem finitione pendeat. DAVID. HOLLAZII *examen theologicum, vniuerſam Theologiam thetico-polemicam complectens*, Holmiae cum ROMANI TELLERI obſeruationibus cIↃ IↃ cc L. qui et ipſe definitionibus, ad totam cuiuſque capitis tractationem omnem pertinentibus, vſus eſt. IO. FRANCISCI BVDDEI *inſtitutiones Theologiae dogmaticae*, Lipſiae cIↃ IↃ cc XLI. IOACH. IVSTI BREITHAVPTI *inſtitutiones Theologiae de credendis et agendis*, quibus inſtitutiones theologicae breuiores illuſtrantur, Halae cIↃ IↃ cc XVI vſque cIↃ IↃ cc XXXIII. IACOBI CARPOVII *Theologia reuelata dogmatica, methodo ſcientifica adornata*, Ienae cIↃ IↃ cc XXXVII vſque cIↃ IↃ cc XLVIIII. Deſiderarunt hoc ea quaedam IOACHIM. OPORINVS in commentatione *de vſu doctae ſimplicitatis contra ſcepticos*: CHRIST. GOTTL. CLVGIVS in

singularibus Theologiae Carpouianae, ac alii: quibus tamen singulis respondit. Si multum ex isto libro proficere voles, suaserim, vt vetustioribus demum Theologis lectis eum euoluas; abs theologicis philosophica solicite discernas; ac quodque ad domesticum suum principium transferas. CHRISTIANI EBERH. WEISMANNI *institutiones Theologiae exegetico-dogmaticae*, Tubingae cIↃ IↃ cc XXXVIIII: IO. IACOB. RAMBACHII *dogmatische Theologie; oder Christliche Glaubenslehre*; quae LANGII *oeconomiae* interpretatio est, edita a NEVBAVERO Francofurti cIↃ IↃ cc XLIIII. Atque hos ex dogmaticis nostratium libris attulisse sufficiat. Plures qui nosse volet, adeat scriptores de historia literaria Theologiae (d). Sunt etiam in Reformatis et Pontificiis qui systemata Theologiae theticae dederint: quorum tamen lectio non ante est suscipienda, quam alias etiam Theologiae partes, ac inprimis polemicam addiceris. quo, quae recte se in illis habent; quaeue errores

(d) Nempe CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM in *introductione ad historiam Theologiae literar. lib. II, par. V, p. 216, seq.* IO. CHRISTOPHORVM DORNIVM in *bibliotheca theol. crit. part. II, lib. VIIII, cap. II, p. 687, seq.* et *cap. IIII, p. 764, seq.* ac IO. GEORG. WALCHIVM in *bibliotheca theol. selecta, tom. I, cap. II, par. IIII, seq. p. 32, seq.*

rores eorum referunt, aut ex ipsis manant, dignoscere eo melius possis. Est autem in Reformatorum systematibus BARTHOLOMAEI KECKERMANNI *Syst. ma theologicum*, quod exstat in eius operibus editis Coloniae Allobrogum cIↃ IↃ c xiiii. Dilapsus autem KECKERMANNVS est in nefandum, vt supra dixi, Philosophiae abusum. IOANNIS BRAVNII, qui COCCEII est partes sequutus, *doctrina foederum, siue Systema Theologiae didacticae et elenchticae*, Amstelodami cIↃ IↃ c xci: BENEDICTI PICTETI *Theologie Cretienne*, Geneuae cIↃ IↃ cc viii. conuersio eius Teutonica prodiit Lipsiae cIↃ IↃ cc xxiii: IOANNIS WITSII *oeconomia foederum Dei cum hominibus*, Herbornae cIↃ IↃ cc xii; ac DAN. WITTENBACHI *tentamen Theologiae dogmaticae*, tomis III, Bernae cIↃ IↃ cc xli vsque cIↃ IↃ cc xlviiii. Inter Pontificios vnum IO. BAPTISTAM DVHAMEL nominasse sufficiat. cuius *Theologia speculatrix et practica iuxta sanctorum Patrum dogmata pertractata, et ad vsum scholae accommodata*, prodiit Parisiis cIↃ IↃ c xci

IIII

DOGMATICA fideliter pertractata, libri symbolici videntur legendi esse: est enim ita de fidei articulis statuendum et praecipien-

dum, vt in his traditur. Facit etiam horum lectio eo, vt, quae in theticis proposita sunt, revocare in mentem et quasi ruminare possis. Nec multum forsan a vero aberraret, qui, quae parum in theticis, vt nunc proponuntur, placent, inde existimaret repetenda esse, quoniam symbolicis libris parum plerumque tribuitur; atque leguntur a pauciſſimis. Dicam de his libris aliquanto fusius. Symbolicorum librorum nomine, fidei insigniuntur confessiones, quae eum in finem literis mandatae sunt, vt qui eidem sunt doctrinae addicti, eo melius ab secus sentientibus dignosci possint (e). In editionibus formulae librorum apud Lutheranos, qui

(e) Patet inde satis commode symbolorum nomen ad haec scripta translatum esse. Nempe in symbolis apud deastricolas, militaris etiam tessera, PELAMEDIS inuentum, erat. Tessera illud symbolum a figura quadrata dictum est; quae tamen oblonga vtplurimum fuit, vnde πλατειον a POLYBIO dicitur. His tabulis ligneis variae erant icones insculptae, aut erant etiam literatae: vt, IVLIVS CAESAR dedit tesseram victoriam; AVGVSTVS Venerem genetricem; NERO optimam matrem; ANTONIVS aequanimitatem. SEVERVS tesserae inscribi voluit *laboremus*, alii alia. Atque has tesseras Tesserarius, sole occiduo abs Tribuno acceptas, militibus tradidit, vt socii milites dignosci ab hostibus et discerni possent. Vid. IVSTVS LIPSIVS *de militia Romana, lib. V, c. VIIII*

qui vniuerse symbolici dicuntur, praecipuae sunt hae: *Concordia per* ADAMVM RECHENBERG, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXII. cui *appendix tripartita isagogica* subiecta est: HENRICI PIPPINGII *Christliches Concordienbuch*, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXVIIII. in qua et ipsa quaedam isagoge ad libros symbolicos reperitur: PHILIPPI MVLLERI *concordia confessionis fidei* (f), Ienae cIↃ IↃ CC V: CHRISTIANI REINECCII *concordia Germanico-Latina ad optima et antiquissima exemplaria edita*, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXV; ac SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Christliches Concordienbuch*, Halae cIↃ IↃ CC XLVI. Separatim de libris symbolicis omnibus breuiter exposuerunt GODOFREDVS HOFFMANN in *commentario in Augustanam confessionem ceteroſque libros symbolicos*, Tubingae cIↃ IↃ CC XXVII; et SIG. IAC. BAVMGARTENIVS *in der Erläuterung der im Christlichen Concordienbuch enthaltenen symbolischen Schriften*, Halae cIↃ IↃ CC XLVII. Vberrimas autem introductiones in eosdem dede-

(f) Vid. GOTTL. STOLLIVS *in der Anleitung zur Historie der theologischen Gottesgelartheit, cap. VI, p. 554.* vbi etiam commemorat CHRISTIANVM REINECCIVM, mendis eam ac naeuis scatere existimasse: vt autem ne quis in posterum eam culpet, publico decreto cautum esse

runt IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS in *isagoge in libros ecclesiarum Lutheranarum symbolicos*, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXV; ac IO. GEORG. WALCHIVS in *introductione in libros ecclesiae Lutheranae symbolicos*, obseruationibus illustrata, Ienae cIↃ IↃ cc XXXII. Iam in ipsis libris symbolicis, primo se offert symbolum apostolicum. Existimandum autem non est, inde ei apostolicum nomen esse, quod Apostoli id conscripserint. quod Pontificii videntur velle. Nam nec LVCAS in actis apostolicis; nec Patres HIERONYMO et AVGVSTINO antiquiores, eius symboli mentionem fecerunt: nec alia suppetit causa idonea, propter quam ita statuendum sit. Quod enim BARONIVS arguit, Apostolos propterea istud symbolum composuisse, quod veriti fuerint, vt ne quisque peculiarem doctrinam ederet, coniectura est parum probabilis, et ex qua nihil consequitur. Contra ea autem Apostolis, vt SCHVRZFLEISCHIVS monet, minime conuenit ista alternatio capitis, seu articulorum, quae in ipso symbolo obtinet: siquidem ea admissa, nullus Apostolorum integram doctrinam proposuisset. Itaque ei a materie nomen est; quoniam multa Apostolorum dogmata comprehendit: nempe in solemni formula, quam adulti antequam sacro fonte abluerentur recitabant, (quod Latini symbolum accipere et

redde-

reddere, Graeci σύμβολον ἀπαγγέλλειν dicunt,) eius origo quaerenda est. Ac primo quidem pauciſſimis verbis id videtur conceptum fuiſſe: ſuntque deinde propter haereſes plura adiecta: vt in veteri iſto ſymbolo apoſtolico Romanae eccleſiae, quod VSSERIVS vetuſtis in codicibus manuſcriptis reperit ac edidit, deſiderantur verba, *creatorem caeli et terrae*: item voces, *paſſus, mortuus*: totum comma *deſcendit ad inferos*, quod quibuſdam ex Aquileienſi ſymbolo petitum eſſe videtur; vox *catholicam*, ac verba *vitam aeternam*. Eſſe autem iſta vocabula breui adiecta, ex Franconica huius ſymboli conuerſione, quae ineunte ſaeculo ſexto comparata eſſe videtur, patet. edidit eam BOXHORNIVS. Eſt autem admodum futilis SANDII opinio, qui voluit, hoc ſymbolum Nicaena ſynodo, et quidem ab Arianis, compoſitum eſſe: conſtat enim ea in ſynodo aliud ſymbolum conſcriptum eſſe. *Hiſtoriam ſymboli apoſtolici cum obſeruationibus eccleſiaſticis et criticis, ad ſingulos eius articulos* PETR. KINGIVS dedit. quem librum GOD. OLEARIVS ex Anglico in Latinum ſermonem transtulit, et Lipſiae cIↃ IↃ cc VI euulgauit. IACOBVS item VSSERIVS peculiarem diſſertationem *de ſymbolico apoſtolico vetere Romanae eccleſiae*, foras edidit Oxoniae cIↃ IↃ c LX. Primus illud ſymbolum illuſtraſſe videtur RVFINVS

in

in *expositione in symbolum apostolicum:* sed refert id ad aetatem Apostolorum, licet fateatur, hocce symbolum diuersis in ecclesiis diuersum fuisse. NICOLAVS SELNECCERVS dedit *exegesin symboli apostolici Nicaeni et Athanasiani*, Lipsiae clɔ Iɔ LXXVII: DAVIDIS CHYTRAEI *explicationem symboli apostolici* suppeditauit IOANNES FRIDERICI, Wittebergae clɔ Iɔ LXXXIIII; atqe POLYCARPVS LEYSERVS de symbolo apostolico *disputationum decades III* edidit. Ex Reformatorum scriptis huc spectant IO. PEARSONII *expositio symboli apostolici*, ex Anglico idiomate conuersa ab SIM. IO. ARNOLDO: HERMANNI WITSII *exercitationes sacrae in symbolum, quod apostolicum dicitur, et in orationem dominicam*, Amstelodami clɔ Iɔ c XCVII, et IO. HENRICI HEIDEGGERI *duae de symbolo apostolico dissertationes*, insertae tomo secundo disputationum eius selectarum (g). *Symbolum Nicaenum* Nicaeno in concilio, quod CONSTANTINVS magnus anno CCCXXV habuit, propter hanc caussam conscriptum est, vt ARII errores retundi eo melius possent. Episcopi vno plures huic formulae conscribendae manum admo-

(g) Plures scriptores IO. ALB. FABRICIVS adduxit in *codice apocrypho noui testamenti, part. II, pag. 361, conf. pag. 339*

admouisse videntnr, quod alii alium eius auctorem faciunt: vt, IOSEPHVS Aegyptius MACARIVM Hierosolymitanum Episcopum; VRSACIVS et VALENS, ARII asseclae, HOSIVM Cordubensem Episcopum; BASILIVS HERMOGENEM Asiaticum eam concepisse animo literisque mandasse asseuerant. At enim vero, symbolum quod hodie Nicaenum conditur, instructum magis est ac vberius eo, quod Nicaeae concinnatum fuit. Nempe ita hodie est symbolicis libris insertum, quemadmodum primo in concilio, Constantinopoli abs THEODOSIO Imperatore habito, ob Semi-Arianorum et Macedonianorum errores auctum et quibusdam accessionibus donatum est. Iam qui scire volet, quae verba Constantinopolitano in symbolo adiecta et intercalata fuerint, primo legat symbolum Nicaenum, quod in aliis ATHANASIVS (h) exhibet; ac deinde symbolum Constantinopolitanum, aut potius Nicaeno-Constantinopolitanum, quod apud SOCRATEM omni-

(h) In epistola ad IOVIANVM *de fide, tom. I.* oper. *p.* 247: vt et LEO magnus in epistola CXXXIIII ad LEONEM Augustum, ed. PASCHALII QVESNELLI. Conf. BVDDEVS in *isagoge lib. II, cap. II, par. IIII, p. 449.* qui et ipse ibidem, *par. V, p. 463*, quid vtramque interfit confessionem demonstrauit: add. IO. GEORG. WALCHIVS in *introd. in libr. eccles. Luther. symbol. p. 122, seq.*

omnibusque in libris symbolicis habetur. Funesta autem inde enata est controuersia, quum Orientis ecclesia vitio occidentali dedit, eam quadrisyllabum *filioque* huic symbolo de suo adiecisse: et contra ea autem Romanenses incusarunt Graecos, ac si ipsi eam vocem erasissent atque expunxissent. Ex instituto in hoc symbolum commentati sunt, CASPAR CRVCIGER *in enarratione symboli Nicaeni*, quae cum praefatione MELANCHTHONIS prodiit Wittebergae cIↃ IↃ L; et IO. CASP. SVICERVS in *symbolo Nicaeno Constantinopolitano exposito et ex antiquitate ecclesiastica illustrato*, Traiecti ad Rhenum cIↃ IↃ cc XVIII. Idem etiam exposuit IO. HENR. HEIDEGGERVS Reformatus in *dissertatione de symbolo Nicaeno Constantinopolitano*. quae habetur in eius dissertationibus selectis, estque decima tertia tomi secundi. Consequitur *symbolum Athanasianum*. Istud vero ad ATHANASIVM, tanquam auctorem, licet multi (i) id fecerint, referri non potest; et quidem

immo

(i) NATALIS ALEXANDER existimat istud symbolum, iam Augustodunensi in synodo ATHANASIO attributum fuisse: alii autem putant, id primo Athanasianum conuocatum esse ab apocrisiariis, id est legatis a Pontifice GREGORIO VIIII Constantinopolin missis, vt controuersiam inter Graecam et Latinam ecclesiam componerent. Conf. BVDDEVS l. c. *par. IIII, p. 452*

dem I) quoniam Latino idiomate exaratum est. neque enim vero est simile, eo intelligentiae ATHANASIVM in Latinitate peruenisse, vt Latino vti sermone quam Graeco maluerit: II) quia loquela ὁμοούσιος eo in symbolo desideratur: III) quod in vetustis exemplis ATHANASII nec vola nec vestigium eius symboli adest; ac tandem IIII) quia nemo, qui eam attinet aetatem, et ne Patres quidem Chalcedonensis concilii, eius mentionem fecerunt. Vnde in ipsis etiam Pontificiis NATALIS ALEXANDER, LVDOVICVS ELLIES DV PIN, aliique, perperam hoc symbolum in ATHANASII scriptis haberi fatentur. Sunt etiam qui ANASTASIVM, EVSEBIVM Vercellensem, VENANTIVM FORTVNATVM et VINCENTIVM Lirinensem istud symbolum excluſisse contendant. Atque huic VINCENTIO magna cum specie veri id videtur tribui posse, quum certum sit, eum et alia scripta, aliorum et inprimis ATHANASII nomine subiecisse. *Iudicia eruditorum de symbolo Athanasiano*, WILHELMVS ERNESTVS TENZEL collegit Gothae cIↃ IↃ C LXXXV. Explanarunt istud symbolum HENRICVS RIXNERVS in disputatione Helmstadii cIↃ IↃ C LXXV edita: PAVLLVS LAVRENTIVS; et inter Reformatos

matos DAV. PAREVS in notis in *symbolum* ATHANASII

V

AVGVSTANAE confessioni, quae iam in libris symbolicis consequitur, nomen est ab Augusta Vindelicorum, vbi, in comitiis anno cIↃ IↃ XXX a CAROLO quinto habitis, praelecta est die XXV Iunii; et quidem a CHRISTIANO BAYERO, Doctore et Electoris Saxonum Cancellario. Duo eius exempla, Latinum alterum, alterum Theotiscum, ipsis in comitiis in medium prolata sunt. Atque istud quidem CAROLVS sibi sumsit, estque Bruxellas delatum: hoc vero Electori Moguntino traditum fuit, vt in rerum gestarum tabulario asseruaretur. Est autem ista fidei confessio, ante quam finis comitiis imponeretur typis exscripta. Index ita habet: *Anzeigunge und Bekenntniß des Glaubens und der Lehre, so die appellirende Stände Kaiserlicher Majestät auf ietzigem Tage zu Augspurg überantwortet haben.* Enimvero Lutherani eius editionis auctores non sunt. In ipsis Lutheranorum Augustanae confessionis editionibus primis est Latina illa, quae ad authenticum exemplum expressa est Wittebergae cIↃ IↃ XXXI, et quidem forma quarta; nec non Germanica ibidem, et anno etiam eodem, euulgata.

gata. Iam quod ad ipsam confessionem Augustanam attinet, comparata illa est, auspiciis IOANNIS, Saxoniae Electoris, aliorumque Principum et statuum Euangelicorum, a LVTHERO potissimum et MELANCHTHONE. Nempe eum in modum, vt ille fundamenti vice attulerit articulos XVI, Suobachii cIↃ IↃ XXVIIII compositos (k). de quo argumento peculiaris exstat IO. IAC. LAYRITII dissertatio, habita Wittebergae cIↃ IↃ CC XXVIIII: hic vero vltimam manum, adhibitis his, quae ERH. SCHNEPPIVS, IO. BRENTIVS, AND. OSIANDER, rel. subministrabant, operi imposuerit; ipsamque confessionem ad LVTHERVM miserit, quo eam recognosceret. Anno cIↃ IↃ XL vero PHILIPPVS MELANCHTHON magnam Augustanae confessionis demutationem molitus est, vt nimirum lites inter Protestantes sopiret: vt, in articulo X pro *adsint et distribuantur* reposuit *adhibeantur*: verba autem, *et improbant secus sentientes*, prorsus omisit (l). quo

(k) Habentur illi vernacula lingua in LVTHERI operibus Altenburg. *tom. V, p. 14, seq.* Sunt autem qui hosce et Torgauienses articulos, ad minimum qua praecipua contenta, inter se non distare, putent

(l) Vniuerse de iis quae in hac confessione a MELANCHTHONE demutata sunt videatur *colloquium Altenburgense, p. 370, 402, 425, 426*, aliisque in locis; et LAVR. NORMANNI *dissert. de August. confess. eiusque variatione*

quo ipso discriminis inter variatam et inuariatam Augustanam confessionem auctor exstitit. Atque istud MELANCHTHONIS coeptum perquam male LVTHERVM habuit (m) In Numburgensi etiam conuentu inter se collata fuere Augustanae confessionis exempla; estque pronunciatum, editionem eius Wittebergae forma quarta euulgatam, aliis praeferri debere. cui etiam subscripsere Lutherani omnes, atque FERDINANDO Imperatori eam exhibuerunt. Merito autem CONRADVS DVRRIVS diuinae prouidentiae tribuit, Theotiscum exemplum a MELANCHTHONE demutari non potuisse. Ceterum haec ipsa confessio in Graecam etiam linguam conuersa est a MARTINO CRVSIO; estque ea conuersio per Theologos Tubingenses ad D. HIEREMIAM, Patriarcham Constantinopolitanum, missa. Plenius confessionis Augustanae historiam proposuerunt, Anonymus in libro ad hunc modum inscripto: *Historie Augspurgischer Confeßion, wie*

(m) Quod intelligi potest ex IOANNIS WIGANDI, Pomezaniensis Episcopi, verbis; quae GEORG. SPERLINGIVS excitauit in praefatione ad IO. HENR. KINDERMANNI *Northusam illustrem.* Ipse etiam MELANCHTHON variatam illam confessionem, in Wormatiensi et Ratisbonensi colloquiis improbauit

wie sie erstlich berathschlaget, verfasset, und dem Kayser CAROLO übergeben, Lipsiae cIↃ IↃ c-VIIII: GOTTL. WERNSDORFIVS in *historia Augustanae confessionis*, Wittebergae cIↃ IↃ cc v: ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS *in der vollständigen Historie der Augspurgischen Confession*, Gothae cIↃ IↃ cc xxx; et CHRIST. AVGVSTVS SALIGIVS *in der vollständigen Historie der Augspurgischen Confession und derselben Apologie, aus bewährten Scribenten und ungedruckten Monumenten genommen* Halae cIↃ IↃ cc-xxx. In scriptis quibus ea exposita est, praecipua videntur esse haec: CONRADI DIEDERICI *pia et modesta invariatae Augustanae confessionis repetitio, expositio et confirmatio, abs Theologis Marpurgensibus instituta*, Marpurgi cIↃ-IↃ c xxx: IO. ERNESTI GERHARDI *praelectiones in Augustanam confessionem*, Ienae cIↃ IↃ c LIIII: LEONHARDI HVTTERI *collegium theologicum in XL. disputationes distributum, de articulis confessionis Augustanae, et libri concordiae*, Wittebergae cIↃ IↃ c x; eiusdemque *Augustanae confessionis analysis methodica*, ibidem cIↃ IↃ c II: BALTH. MENZERI *exegesis Augustanae confessionis*, Wittebergae cIↃ IↃ cc VI: ABRAHAMI CALOVII *criticus sacer*, Lipsiae cIↃ IↃ c XLVI; et eiusdem *exegema Augustanae confessionis*, Wittebergae cIↃ IↃ c LXV: IO. MV-

SAEI *unbeweglicher Grund der Augſpurgiſchen Confeſſion*, Ienae cIↃ IↃc LIIII: IO. ABRAH. KROMAYERI *commentarius didactico-elenchticus in Auguſtanam confeſſionem*, Francofurti cIↃ-IↃcc XXIII. In aliis autem omnibus eminent IO. GVSTAV. REINBECKII *Betrachtungen über die in der Augſpurgiſchen Confeſſion enthaltene, und damit verknüpfte göttliche Wahrheiten, von ISR. THEOPH. CANZEN fortgeſetzt*, Berolini ab anno cIↃ IↃcc XXXIII vſque cIↃ IↃcc XLIIII. cui addendi ſunt PETRI AHLWARTI *Betrachtungen über die Augſpurgiſche Confeſſion*, Gryphiſwaldae cIↃ IↃcc V (n). Pergo iam ad *apologiam Auguſtanae confeſſionis*; quae et ipſa Auguſtanis in comitiis die XXII Septembris, vt MVLLERVS calculum in annalibus ſubducit, CAROLO quinto exhibita eſt. Sed nec recepit eam Imperator, nec copiam eius praelegendae Proteſtantibus fecit. Erat ea

(n) Plura ſcripta, quae ad Auguſtanam confeſſionem pertinent recenſuit IO. CHRIST. DORNIVS in *bibliotheca theologica critica, lib. VIII, cap. II, par. XIII, p. 500, ſeq.* et ibidem *par. XVII, p. 517, ſeq.* Ceterum multa etiam, quae ad illuſtrandam hiſtoriam Auguſtanae confeſſionis faciant, reperies in IO. SLEIDANI *commentariis de ſtatu religionis et reipublicae ſub CAROLO V Caeſare, lib. VII, p. 127*, et in VIT. LVD. SECKENDORFII *hiſtoria Lutheraniſmi* variis in locis

ea obmota his, quae MELANCHTHON, quum Pontificiorum Augustanae confessionis refutatio praelegeretur, calamo exceperat: neque enim tum Protestantes impetrare potuerant, vt ipsi refutationem inspicerent. Deinde vero, quum comitiorum finis factus esset, aliquod eius exemplum ad Protestantes peruenit. quod ansam PHILIPPO dedit, apologiam multis in locis amplificandi. Hinc eiusdem diuisio in breuiorem et ampliorem emersit. Atque Lutherani non illam, quam apud vnum CHYTRAEVM reperies; sed hanc, quae Wittebergae cIↃ IↃ XXXI edita est, sua in symbola asciuerunt. Perscripsit autem hanc MELANCHTHON sermone Latino: sed habetur etiam eiusdem conuersio Theotisca, quae ab IVSTO IONA confecta est. Iam libros, quibus vna cum Augustana confessione haec etiam eiusdem apologia illustratur, antea adduxi: alii autem in quibus speciatim de vna apologia expositum sit, non suppetunt. *Articuli Smalcaldici* in sexto (o) conuentu, qui Smalcaldiae in

 causſa

(o) Probe ab hoc sexto conventu discernendus est septimus, ibidem anno cIↃ IↃ XL celebratus, vt ne formula, quae nunquam in libros symbolicos relata fuit, idem cum articulis Smalcaldicis esse existimetur. Vid. IO. CHRIST. DORNIVS in *bibliotheca theol. crit. part. II, lib. VIIII, cap. II, p. 526 et 527*

cauſſa religionis habitus eſt cIↃ IↃ xxxvii, Teutonica lingua a LVTHERO conſcripti ſunt, quo eodem anno etiam *tractatus de poteſtate et primatu Papae*, qui iiſdem in libris ſymbolicis ſubiectus eſt, compoſitus eſſe videtur: non vero a LVTHERO, ſed *per Theologos Smalcaldiae congregatos*. Sunt autem articuli Smalcaldici eo conſilio exarati, vt, ſi quod concilium Mantuae, aut alio in loco haberetur, de quo iam actum fuerat in comitiis Auguſtanis, cuiuſque rei ſpem etiam Pontifex PAVLLVS III oſtendaret, adferri in medium ac proponi poſſent. Sed nec concilium iſtud vnquam habitum eſt: nec articuli exhibiti fuere. LVTHERVS vero primus eos in lucem publicam emiſit Wittebergae cIↃ IↃ xxxviii; Latina autem eorundem conuerſio a PETRO GENERANO comparata, prodiit anno cIↃ IↃ xli. Speciatim in eos commentati ſunt, FRID. BALDVINVS in *diſputationibus XXII pro articulis Smalcaldicis*, Wittebergae cIↃ IↃ cvi, et IO. KAHLERVS in *articulis Smalcaldicis XVII diſputationibus in Academia Rinthelienſi propoſitis*. *Minorem* porro *et maiorem LVTHERI catechiſmos, vt tomis LVTHERI ſunt inſerti*, pii confeſſores in libros ſymbolicos retulerunt anno cIↃ IↃ L: *quod illi quaſi laicorum Biblia ſunt, in quibus omnia illa breuiter comprehenduntur, quae in ſacra ſcri-*

scriptura fusius tractantur (p). Vtrumque LVTHERVS lingua Theotisca edidit cIↃ IↃ XXVIIII; estque deinceps vterque in Latinam linguam conversus ab OBSOPOEO et IO. LONICERO. Suppetit etiam minoris catechismi LVTHERI conuersio Graecanica atque Hebraica. Vtramque inuenies in ea huius catechismi editione, quae studio et opera IOANNIS CLAII prodiit Wittebergae cIↃ IↃ LXXXIIII. Videtur autem LVTHERVS, ad plenius ea, quae iam antea de catecheticis scripserat elaboranda, visitationibus potissimum inductus esse, quas in Saxonia anno cIↃ IↃ XXVII et cIↃ IↃ XXVIII instituerat. Iam historica, quae huc faciunt, enarrauit in aliis GEORGIVS LANGEMACK in *historia catechetica, oder den gesammleten Nachrichten zu einer Catechismushistorie*, Sundii cIↃ IↃCC XXVIIII et cIↃ IↃCC XXX. Minorem inprimis catechismum explicarunt PHILIPPVS MELANCHTHON, IO. BRENTIVS, NICOLAVS SELNECCERVS, DAVID CHYTRAEVS, NICOLAVS HEMMINGIVS, aliique complures. *Formula concordiae*, de qua nunc videndum, aliis etiam modis duobus in-

(p) Haec verba in *epitome formulae concordiae, pag.* 571, ed. RECHENBERGII habentur. Conf. *declarationem solidam, pag.* 634

scribitur, qui sunt hi: *Epitome articulorum, de quibus controuersiae ortae sunt*, rel. et quae huic subiecta est consideratio, *solida* inscribitur *plana ac perspicua repetitio et declaratio quorundam articulorum fidei Augustanae confessionis*, cet. Occasionem conscribendae huius formulae, variae lites dederunt, inprimis hoc, quod nonnulli ex PHILIPPI discipulis, qui crypto-Calviniani dicebantur, asserta Reformatae ecclesiae in Saxonia disseminare satagerent; ac scripta quaedam in hunc finem ederent, veluti *catechesin* Wittebergensem, *stereoma*, *quaestiones de persona CHRISTI et coena Domini*, *consensum Dresdensem*, rel. Multi enim his contra dixerunt: atque AVGVSTVS, Saxonum Elector, vt controuersiae istae componerentur, quosdam Saxoniae Theologos anno cIↃ IↃ LXXIIII Torgauiam conuocauit; sed incassum. Idem Elector eandem ob rem Theologos anno cIↃ-IↃ LXXVI mense Februario Lichtenbergam coegit. quo in conuentu demonstratum est, propter istas lites dissecandas, confessionem quandam scribi debere. Suppetebat autem iam tum eiusmodi confessio a LVCA OSIANDRO et BALTHASARE BIDEMBACHIO excluſa, ac in concilio Maulbrunnensi anno cIↃ IↃ LXXVI mense Ianuario explorata et probata. quam etiam GEORGIVS ERNESTVS, Princeps Henne-

Hennebergicus, ad AVGVSTVM misit. Propterea AVGVSTVS hoc eodem anno mense Iunio, denuo conuentum Torgauiae instituit; in quo confessio quaedam Maulbrunnensi aliquanto spissior, et aliquod veluti lineamentum ipsius formulae concordiae comparatum est. Tandem anno cIↃ IↃ LXXVII ista formula excussa et consummata est in coenobio Bergensi iuxta Magdeburgum: et quidem per Theologos sex. quorum nomina sunt haec: IACOBVS ANDREAE, DAVID CHYTRAEVS, MARTINVS CHEMNITIVS, ANDREAS MVSCVLVS, CHRISTOPHORVS CORNERVS, NICOLAVS SELNECCERVS. Multa deinde colloquia ob eam recipiendam habita sunt. Prima autem vice edita est idiomate Germanico Basileae cIↃ IↃ LXXX; quum ad octo hominum millia suum ei nomen subscripsissent. Latinam eius conuersionem, quae a LVCA OSIANDRO videtur confecta esse, NICOLAVS SELNECCERVS eodem anno euulgauit. Deinde idem refectam eam in melius et limatam vna cum textu foras dedit cIↃ IↃ LXXXII; et solam conuersionem denuo emendatam, cum reliquis libris symbolicis, cIↃ IↃ LXXXIIII. Quum vero haec formula variis scriptis impugnaretur, defensionem susceperunt TIM. KIRCHNERVS, NICOLAVS SEL-

NECCERVS atque MARTINVS CHEMNITIVS; ac abunde demonstrarunt, praeter rem eam culpari. Interim tamen istaec concordiae formula non ab omnibus ecclesiis nostris vti symbolicus liber publice receptus fuit; licet doctrinam, quam continet, ratam omnino habeant Lutherani omnes. Sunt etiam qui putent, eam in Dania crematam fuisse. quod merito in dubium vocatur (q). In libris, quibus huius formulae historia continetur, est LEONHARDI HVTTERI *concordia concors*, iterum edita cIↃ IↃ c xc. quae scriptio potissimum RVDOLPHI HOSPINIANI *concordiae discordi* obmota est: nec non GEORG. MVLLERI *des Lutherischen Concordienbuchs, so im Jahr* cIↃ IↃ c LXXX *durch Churfürst AVGVSTVM gestiftet, gründlichen und ausführlichen Historia*, Freybergae cIↃ IↃ c LXXX. In eiusdem commentariis est LEONH. HVTTERI *explicatio plana et perspicua libri Christianae concordiae*, Wittebergae cIↃ IↃ c VIII: PETRI PISCATORIS *commentarius in formulam concordiae*, Ienae cIↃ IↃ c VIIII: SEBASTIANI SCHMIDII *articulorum formulae concordiae repeti-*

(q) Vid. IOAN. HERMANNI AB ELSWICH *disquisitio historica de formula concordiae num in Dania sit combusta*, Wittebergae cIↃ IↃ cc XVI

repetitio, *dissertationibus theologicis instituta*, Argentorati clɔ Iɔ c xcvi: IO. MVSAEI *praelectiones in formulam concordiae*, Ienae clɔ Iɔ cc i; rel.

VI

QVAEDAM nunc commemoranda de libris symbolicis ecclesiarum nostrarum particularibus. conuocantur illi plerumque *corpora doctrinae*. Atque in his antiquissimum fuit *corpus doctrinae Philippicum*, a MELANCHTHONE concinnatum. quod vernacula in lingua Lipsiae clɔ Iɔ lx, Latine autem ibidem clɔ Iɔ xli prodiit. Initio quidem istud corpus multis se magnopere probauit: consequenti autem tempore multa in eo notarunt multi; praecipue in colloquio Altenburgensi anno clɔ Iɔ lxviiii habito. Atque, quum Theologi Saxonici negarent prorsus, se in symbolis istud habere corpus posse; quod in neutra eius editione Augustana confessio germana et omnino invariata adesset, id ipsum caussam dedit comparandi corporis doctrinae Christianae Thuringici, Ienae clɔ Iɔ xxi. Index ita habet: *corpus doctrinae christianae, das ist, summa der Christlichen Lehre, aus den Schriften der Propheten und Apostel fein kurz, rund und gründlich, durch* MARTINVM LVTHERVM *sonderlich, und andere*

dieser

dieſer Landlehrer, zuſammengefaſſet cet. Corpus doctrinae Iulium, quod apud Brunſuicenſes obtinet, hunc praefert indicem: *Corpus doctrinae, das iſt die Summa, Form und Fürbilde der reinen Chriſtlichen Lehre, aus der heiligen göttlichen Schrift der Propheten und Apoſteln zuſammengezogen, cet. gedruckt in der Heinrichsſtadt bey der Veſtung Wolfenbüttel*, cIↃ IↃ LXXVI. Hoc in corpore ipſius IVLII, Brunſuicenſium et Luneburgenſium peremnis memoriae Ducis, praefatio primum locum occupat; quae vt magnopere ei diuinior religio curae fuerit loquitur. Eam inſequitur conſideratio; *was das corpus doctrinae hinführo ſeyn ſoll.* in qua, non niſi vnum eſſe Theologiae cognoſcendae principium, nempe ſacram ſcripturam demonſtratur: dein de ſymbolicis exponitur libris. Proponitur porro, *ein kurzer einfältiger und nothwendiger Bericht von etlichen fürnehmen Artickeln der Lehre, wie dieſelbiger mit gebührlicher Beſcheidenheit fürgetragen, und wider alle Verfälſchung verwahret mögen werden.* quo in ſcripto de Deo, de poenitentia, de legis et Euangelii diſcrimine, de peccato, de iuſtificatione, de bonis actionibus, de libero arbitrio, de ſacramentis vniuerſe ſpectatis, de confeſſione et abſolutione, de baptiſmo, de miſſa, de coena dominica, de ieiunio et precibus, de luſtratione ſalis, ignis, herbarum, et aliarum rerum creatarum, agitur. Tria deinceps

ceps symbola, adiectis quibusdam ad marginem obseruationibus, exhibentur: Augustana item confessio; eiusdem apologia, ex conuersione IVSTI IONAE; articuli Smalcaldici: maior et minor LVTHERI catechismus, cum animadversionibus in margine adspersis: D. VREANI REGII expositio, *wie man fürsichtiglich und ohne Aergerniß reden soll, von den fürnehmsten Artickeln Christlicher Lehre, für die jungen einfältigen Prediger*; et, *wohlgegründeter Bericht von den fürnehmsten Artikeln Christlicher Lehre, so zu unsern Zeiten streitig worden seyn, cet.* (r) Supperit etiam corpus Pomeranicum, cui index, *corpusculum doctrinae sanctae pro ecclesiis et scholis in episcopatu Pamizzanensi*, anno cIↃ IↃ LXXV. Corpus doctrinae Prutenicum foras est productum anno cIↃ IↃ LXVII. Huc etiam spectant, *commentarius de actis et scriptis publicis ecclesiae Wurtenbergicae*, anno cIↃ IↃ cc XVIIII; atque *die zwölf theologische Schriften, sowohl alter als jüngerer Lehrer, zu Nutz der studirenden Jugend und*

(r) Plura si nosse de corpore doctrinae Iuliae voles, adesis PHILIPPVM IVLIVM REHTMEIERVM *in der Kirchenhistorie der Stadt Braunschweig, tom. III, cap. VIII, sect. IIII, p. 336, seq.* et eodem in *capite sect. VII, p. 423, seq.* Ipse liber cum praefatione IO. ANDR. SCHMIDII prodiit Brunsuigae cIↃ IↃ cc VII, seq.

und junger angehender Kirchendiener, zusammengedruckt anno cIↃ IↃ c XLVI. Plura de hisce corporibus cognoscere poteris ex IOAN. ANDR. SCHMIDII programmate *de corporibus doctrinae*, Helmstadii cIↃ IↃ cc VI, exhibetur id etiam a CHRIST. MATTH. PFAFFIO in introductione in historiam Theologiae literariam: ex appendice ad BAVMGARTENII *Erläuterungen des Concordienbuchs*, rel. Ceterum vniuerse de libris, qui iam symbolici apud Lutheranos conuocantur tenendum, eis, quod I) Dei verbo per omnia respondent, II) alieni ab erroribus sunt, III) vsum didascalicum, apologeticum ac elenchticum habent, ac IIII) faciunt ad seruandam ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, non praeter rem magnam tribui auctoritatem(s): ac proinde merito abs his, qui in nostra ecclesia curam animarum suscipiunt et docent, exigi, vt illis ἁπλῶς *quia* cum Dei verbo conueniunt sacramentum dent

VII

LVTHERI scripta magna cum contentione videntur legenda esse: sunt enim referta omni

(s) Exstat peculiaris dissertatio GOTTL. WERNSDORFII de auctoritate librorum symbolicorum, in eiusdem disputationibus academicis, *vol. II, p. 1366*

omni eruditione: nec poteris etiam ea legere, quin tibi suauis species Theologi consummati occurrat; et quin pietate ac doctrina proficias multum. Scripta LVTHERI Latina Ienae voluminibus IIII ab anno cIↃ IↃ LXXVIIII vsque cIↃ IↃ LXXXIII, et Theotisca ibidem voluminibus VIII ab cIↃ IↃ LXXV vsque cIↃ IↃ LXXX quarta vice prodierunt (t). Eiusdem opera auspiciis SAGITTARII Altenburgi cIↃ IↃ C LXI typis exscripta sunt tomis VII. quibus tomus Halensis a ZEIDLERO additus est cIↃ IↃ CC II. Suppetit etiam Wittebergensis operum LVTHERI editio, quae et ipsa septem tomis constat, ab anno cIↃ IↃ XLV vsque cIↃ IↃ LVII euulgatis. Recentissima vero operum LVTHERI editio a WALCHIO adornata est, habetque indicem hunc: *D. MARTIN LVTHERS sämmtliche Schriften, sowohl in deutscher, als Lateinischer Sprache verfertiget, in vollständiger und bequemerer Ordnung, auch mit historischen Vorreden und Einleitungen in XXIIII Theilen herausgegeben von IOHANN CHRIST. WALCH*, Halae cIↃ IↃ CC L, seq. (v) Legitur autem

(t) Vid. NICOL. HIER. GVNDLINGIVM *in der vollständigen Historie der Gelartheit, tom. II, cap. IIII, sect. III, p. 2376, seq.* vbi contenta huius editionis ex instituto recensuit

(v) Singula LVTHERI opuscula cognoscere poteris

autem hodie LVTHERVS a pauciſſimis. quod valde dolendum eſt. Carpunt etiam multi in his ſcriptis nonnulla, inprimis ea, quae ex animi quadam commotione videntur profecta eſſe. quod non eſſent facturi, ſi temporis, quo LVTHERVS libros ſuos compoſuit, et hominum abs quorum inſultibus diuina aſſerta vindicavit, rationem haberent. Iniquiores his in LVTHERI vrnas ſunt, qui ſciſcunt, eum proletario dicendi genere in vernacula vſum eſſe; quum in primis fuit, qui ſtilum apud Theotiſcos emendarunt. Sunt etiam quos tanta cepit ſubinde et vnice ſyſtemata legendi cupido; vt inde LVTHERVM deſpiciant, quod ſyſtema non ſcripſit. Poterat autem his IO. HENRICI MAII liber offerri. cui eſt index hic: LVTHERI *Theologia pura et ſincera ex viri diuini ſcriptis vniuerſis, maxime tamen Latinis, per omnes articulos fidei digeſta et concinnata*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc. cuius etiam ſupplementa habentur. Iam quum non poſſint omnia ſcripta LVTHERI omnes legere, indicabo quae ſint aliis in legendo praeferenda. Eminet in aliis

eris ex SIGISMVNDI SVEVI *elencho, ſeu catalogo ſcriptorum* LVTHERI *omnium*. Ceterum liber colloquiorum, ſiue *die Tiſchreden*, nec editus eſt a LVTHERO, nec approbatus. Primus eum euulgauit ANTON. LAVTERBACH cIↃ IↃ LXXI

aliis liber ipsius *de seruo arbitrio*, qui ERASMI διατριβῆ, siue *collationi de libero arbitrio* obmotus est. quae scripta CASPAR PFAFFRADIVS, Guelpherbyti cIↃ IↃ C XVIIII edidit. Praeferenda tamen huic ea editio, quam SEBASTIANVS SCHMIDT parauit anno cIↃ IↃ C LXIIII; vtpote in qua, breuibus in notis CALVINI asseclis, qui hoc in scripto, sui de absoluto decreto erroris praesidium quaerunt, obuiam itur. In LVTHERI commentariis, illi, quos in Genesin et epistolam ad Galatas scripsit, principes sunt ac praecipui. Addi his scriptis possunt, expositio verborum: hoc est meum corpus; liber de caelestibus Prophetis, eiusque literae

VIII

PATRVM scripta legisse insignem omni in Theologia vtilitatem adferet; maxime tamen in historia ecclesiastica et polemicis. Itaque recensеam nunc praecipuos. In viris apostolicis sunt IOSEPHVS BARNABAS, patria Cyprus, PAVLLI familiaris; cui vindicatur epistola Graeco idiomate scripta, iamque ab ORIGENE laudata. edidit eam in aliis ISAACVS VOSSIVS: HERMAS, PAVLLI discipulus, cuius nomen perperam praefert liber *pastoris*: DIONYSIVS Areopagita, qui et ipse PAVLLI discipulus fuit. scripta qui-

dem varia ei attribuuntur, sed eiusmodi, quae DIONYSIO recentiora esse videantur. CLEMENS Romanus, Apostolorum discipulus, in Chersonesum Tauricam delatus, mari mersus est. Habetur eius epistola prima ad Corinthios Oxonii cIↃ IↃ C XXXIII edita. quam genuinam esse plerique censent. Perperam vero *constitutionum Apostolorum* auctor esse perhibetur. Nam nec EVSEBIVS nec HIERONYMVS eas in CLEMENTIS scriptionibus recensent; ac vniuerse Patres trium primorum saeculorum ac Nicaeni eas ignorant. IGNATIVS Episcopus Antiochenus, IOANNIS discipulus, qui Romae bestiis obiectus fuit. Debentur ei epistolae septem, vt e codice Medicaeo descriptae sunt. Aliae, quae eidem attribuuntur epistolae, subiectae esse videntur. POLYCARPVS, Episcopus Smyrnensis, auditor IOANNIS; qui pirae, propter confessionem Euangelii impositus, non potuit comburi, sed gladio transuerberatus est. Exarauit ille literas ad Philippenses, quarum fragmentum hodie superat. Atque hi Patres vixerunt saeculo primo. IRENAEVS tamen et POLYCARPVS per multos etiam secundi saeculi annos vitam duxerunt. Iam hoc saeculo secundo claruerunt etiam in aliis PAPIAS, Episcopus Hierapolitanus in Asia; qui tamen nimium traditionibus dedit; erro-

remque

remque de CHRISTO mille annis in terris regnaturo, fouit: IVSTINVS martyr; qui colloquio, cum Christiano quodam magno natu instituto, ad suscipiendum sacra Christianorum commotus fuit. opera eius Graece et Latine, cum ATHENAGORAE *Athenienſis*, THEOPHILI *Antiocheni*, TATIANI *Aſſyrii et* HERMIAE *Philoſophi tractatibus* aliquot, prodierunt Parisiis cIↃ IↃCXXXVI: IRENAEVS, Lugdunensis Episcopus, qui Graece scripsit. opera eius RENATVS MASSVETVS Parisiis cIↃIↃCCX edidit. TERTVLLIANVS hoc ipso, vt et tertio in saeculo eluxit; qui antequam Presbyter Cartaginiensis fieret, diu in foro versatus est. opera eius, cum annotationibus RHENANI ex officina Frobeniana, Basileae cIↃIↃI, prodierunt. Ad tertium speciatim saeculum pertinent CYPRIANVS, Episcopus Cartaginiensis et martyr; Christianismum amplexus est, quum legeret IONAE vaticinationes: CLEMENS Alexandrinus nimium quantum Philosophiae tribuit; eamque Graecis ante CHRISTI aduentum ad iustitiam profuisse existimavit. Prodierunt eius opera Parisiis cIↃIↃCXII, et Lugduni Batauorum cIↃIↃCXLI. ORIGENES, CLEMENTIS Alexandrini discipulus; qui codices et interpretationes scripturae, magna cum solertia contulit ac recensuit: in

scripturae vero interpretatione allegorias nimis studiose consectatus est. *Commentaria ORIGENIS in sacras scripturas, quaecunque Graece reperiri potuerunt, PETRVS DANIEL HVETIVS* edidit Coloniae cIↃ IↃ c LXXXV; iisque *praefixit Origeniana, tripartitum opus, quo ORIGENIS narratur vita, doctrina excutitur, scripta recensentur.* Eiusdem hexapla edidit MONTFAVCON. In rubro ita legitur: *Hexaplorum ORIGENIS quae supersunt, multis partibus auctiora, quam a FLAMINIO NOBILIO et IOANNE DRVSIO edita fuerunt ex manuscriptis et ex libris editis eruit et notis illustrauit D. BERNARDVS DE MONTFAVCON, monachus Benedictinus e congregatione S. MAVRI. Accedunt opuscula quaedam ORIGENIS anecdota, et ad calcem Lexicon Hebraicum ex veterum interpretationibus concinnatum; itemque Lexicon Graecum,* Parisiis cIↃ IↃ cc XIII. Quarto saeculo ATHANASIVS caput extulit; ac vna cum HOSIO, ARII errorem pessimum retudit. opera eius impressa sunt Parisiis cIↃ IↃ cc XXVII, tomis duobus. Eodem saeculo flornit AMBROSIVS, Episcopus Mediolanensis. opera eius ex recensione IACOBI DV FRISCHE et NICOLAI LE NOVRRY prodierunt Parisiis cIↃ IↃ c LXXXVI et cIↃ IↃ c XC. HIERONYMVS item, Presbyter Stridonensis; cuius opera IOANNES MARTIANAEVS quin-

quinque tomis edidit Parisiis cIↃ IↃ c xciii vsque cIↃ IↃ cc vi. Omnino quidem occupatus fuit HIERONYMVS in conuertendis Bibliis: sed vulgata tamen conuersio ad eum, vt auctorem, referri nequit. Nam stilus interpretationis vulgatae plane ab eo, quo HIERONYMVS vsus est, discrepat. Porro HILARIVS, Pictauiensis Episcopus; quem edidit PETRVS CONSTANTIVS, Parisiis cIↃ IↃ c xciii. RVFINVS, Aquileiensis ecclesiae Presbyter, HIERONYMO, quem ante coluerat, offenso, se ad ORIGENEM propius applicauit. cuius etiam libros περὶ ἀρχῶν Latine conuertit. IOANNES CHRYSOSTOMVS, Archiepiscopus Constantinopolitanus, secunda vice in exilium missus, Cumanae, Ponti regione, fatis functus est. opera ipsius Graece et Latine ex recensione FRONTONIS DVCAEI *societatis IESV ad exemplar authenticum Anglicanae editionis correcta*, prodierunt Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ c xcvii. GREGORIVS NYSSENVS, BASILII magni frater; cuius opera euulgauit CLAVDIVS MORELLVS, Parisiis cIↃ IↃ c xv. EVSEBIVS Pamphili, Caesareensis Episcopus, qui in aliis scriptis historiam ecclesiasticam dedit, et Chronologiam, quae est ab HIERONYMO continuata. De eo edendo optime promeriti sunt HENRICVS VALESIVS, WIGERVS et STE-

PHANVS. BASILIVS magnus, EVSEBIO morruo Episcopus Caesareae Palaestinae declaratus est. opera eius IVLIANVS GARNIER Parisiis cIↃ IↃ cc xxi edere coepit. Hoc etiam saeculo GREGORIVS Nazianzenus vixit, estque *Theologi* nomen indeptus. opera eius IAC. BILLIVS *Prunaeus, cum manuscriptis regiis contulit, emendauit, interpretatus est*; eaque edidit *cum doctissimis Graecorum* NICETAE *Serronii*, PSELLI, NONNII *et* ELIAE *Cretensis commentariis*, Parisiis cIↃ IↃ c xxx: EPHRAEM Syrus, Diaconus Edessenorum; cuius opera Romae cIↃ IↃ Lxxxviiii typis exscripta sunt: CYRILLVS, Hierosolymitanus Episcopus, qui ACATIVM Arianum sibi infensum habuit; estque loco etiam motus. opera eius ANTONIVS AVGVSTINVS TOVTTAEVS Parisiis cIↃ IↃ cc xx edidit: EPIPHANIVS, Episcopus Salaminis, Cypri vrbis, qui grauis fuit ζήλῳ. Optimum in eius scriptis est *panarium* siue opus de octoginta haeresibus. Dedit autem singula eius scripta DIONYSIVS Petavius, Parisiis cIↃ IↃ c xxii. Nec hic videtur praetereundus esse LACTANTIVS, qui *institutionum diuinarum libros* perscripsit. Egregia LACTANTII editio HEVMANNO debetur; estque cIↃ IↃ cc xxxvii comparata. Pergo ad quinti saeculi Patres. Hic primo se offert AVGVSTI-

GVSTINVS, Hipponenſis Epiſcopus, qui initio quidem Manichaeus erat: ſed AMBROSIVM audiens, puram doctrinam amplexus eſt. Ante vero quam Antiſtitis munus capeſſeret, aliquamdiu etiam Semi-Pelagianus, vt ipſe fatetur, fuit: enimuero deinceps tum Manichaeos, tum Pelagianos acriter impugnauit. Opera eius *tomis decem comprehenſa* ſunt *per Theologos Louanienſes*; *illuſtrata praeterea eruditis cenſuris et locupletata*, Coloniae Agrippinae cIↃ IↃC XCI. Deinde hoc in ſaeculo claruerunt, PAVLLVS OROSIVS, qui hiſtoriam exarauit: THEODORETVS, Epiſcopus Syriae Euphratenſis; cuius opera prodierunt, Pariſiis cIↃ IↃC XLII: CYRILLVS Alexandrinus, qui XII *anathematiſmos* NESTORIO obmouit: ISIDORVS Peluſiota, Pariſiis cIↃ IↃCC XXXVIII editus: SOCRATES item et SOZOMENVS qui hiſtoriam eccleſiae proſequuti ſunt; ac alii plures. Sexto in ſaeculo eminuerunt in aliis, MARCVS AVRELIVS CASSIODORVS; cuius opera vulgauit IOANNES GARET, Rotomagi cIↃ IↃC LXXVIIII: GREGORIVS, Turonenſis Epiſcopus: GREGORIVS magnus, Epiſcopus Romanus, rel. Sunt autem vniuerſe praeſtantiſſimae Patrum editiones, quae monachis Benedictinis e congregatione s. MAVRI in Gallia debentur. Plura de Patrum ſcriptis cogno-

scere poteris ex THOMAE ITTIGII *tractatu de bibliothecis et catenis Patrum, variisque veterum scriptorum ecclesiasticorum collectionibus*, Lipsiae cIↃ IↃ cc VII. Circumspecte autem in Patrum lectu est versandum, vt ne suffectas et spurias scriptiones in genuinis reponas. Praecepit de illis dignoscendis GERHARDVS *in methodo studii theologici* (x): item IO. DALLAEVS Reformatus in libro *de vsu Patrum* (y). Ratione Philosophiae tenendum, aliis in Patribus ipsam Philosophiam, propter eius in Theologia abusum, male audiuisse; vt TERTVLLIANO, HERMIAE, TATIANO, HIERONYMO: alios multis eam nominibus commendasse; in quibus IVSTINVS est: alios a PLATONIS potissimum partibus stetisse; vt ORIGENES, AVGVSTINVS, IVSTINVS, CLEMENS Alexandrinus, reliqui: alios nullius magistri in verba iurasse; vt LACTANTIVS. Desiderandum autem in Patribus, vt, si ab ORIGENE et HIERONYMO recedas, Hebraicam linguam ignorauerint fere omnes: nec criticae etiam arti multum tribuerint. Vnde in oraculis diuinis interpretandis, non ita sunt vbique omnes vt iuuat versati. Interim tamen

(x) *Part. III, sect. V, cap. III* (y) *Lib. I, cap. III, p. 11, seq.*

tamen nec DANIELIS WHITBY, Praecentoris ecclesiae Sarisburiensis, sententia est ferenda; qui in *dissertatione de sacrarum scripturarum interpretatione secundum Patrum commentarios*, Londini clɔ Iɔ cc xiiii edita, negauit, *Patres siue primaeuos, siue subsequentes, idoneos sacrae scripturae interpretes esse.* Negari enim non potest, conferre Patrum interpretationes, magni esse in Theologia exegetica vsus. Vniuerse autem quo sint Patrum scripta modo vsurpanda IOANNES DALLAEVS, in libro *de vsu Patrum*, quem iam excitaui, tradidit. Sed, quum nimis spissi sint Patrum libri, quam vt legi continuata serie, ab eo, qui in omnibus Theologiae partibus perdiscendis occupatus est, possint, videndum abs quibus legendis ordiendum; et qui potiores videantur esse. GERHARDO ita videtur: Primo sunt *epistolae* IGNATII euolvendae; IVSTINI *apologiae et dialogus cum Tryphone*: IRENAEI *libri aduersus haereses*, TERTVLLIANI *apologeticus, de praescriptionibus, de resurrectione carnis, et aduersus* MARCIONEM; CYPRIANI *epistolae*; NAZIANZENI *orationes*; CYRILLI *catecheses, didactica et elenchtica in tertio, quarto, quinto, sexto et septimo tomo* AVGVSTINI; DAMASCENI *opus de orthodoxa fide.* Cui autem non nisi pauca quaedam ex Patrum scriptis legere mens est,

Patres primo Apostolicos legat. Atque eorum scripta vera ac supposititia illustrauit IO. BAPTISTA COTELERIVS, societatis Sorbonensis Theologus, Amstelodami cIↃ IↃ CC XXIIII: vt et *acta primorum martyrum sincera et selecta, collecta a* THEODORO RVINARTO, Parisiis cIↃ IↃ C LXXXVIIII. quem tamen in librum multi sunt relati, qui martyres non sunt, et quos BASNAGE DE FLOTTEMANVILLE in iis noluit haberi: ORIGENIS item libros VIII *de veritate religionis contra* CELSVM. quos MOSHEMIVS lingua Teutonica edidit Hamburgi cIↃ IↃ CC XLV; ac AVGVSTINI *de ciuitate Dei* librum. Supperit mihi eius editio cui inscriptum: *Diui* AVRELII AVGVSTINI *ad* MARCELLINVM *de ciuitate Dei contra paganos lib. II et viginti cum commentariis* THOMAE TLALOIS; *nec non additionibus* IACOBI PASSAVANTII *atque theologicis veritatibus* FRANCISCI MARONIS, Basileae cIↃ IↃ XV

VIIII

VNIVERSE in legendis dogmaticis aliisque scriptionibus theologicis, finitiones ante omnia respiciendae et eruendae: res quae adferuntur ad breues propositiones reuocandae; probationes insuper his subiectae, Dialecticorum

rum more exponendae sunt. Deinde vero ista omnia referenda erunt ad compendium dogmaticae, quo vsus es, et exigenda. Vnde id vtilitatis emerget, vt penitus perspicere scriptoris mentem possis; et videre etiam, qua probandus sit, qua non. quod ni feceris fluctuabis animo; nec, si in loca impediriora incideris, inde te poteris expedire. Quem autem cunque librum legeris, totum velim, si tanti fuerit, legas. Parum enim hinc inde quaedam legendo proficies. Vt autem quae quis legit, eo haereant diutius, et reuocari in mentem facile possint; excerpta quidam et collectanea conscribenda esse putarunt. Ac quo sint modo dogmatica excerpta, quae et loci communes theologici dicuntur instituenda, DANIEL GEORGIVS MORHOF (z) ostendit. Vniuersae autem de exegeticis pariter ac dogmaticis excerptis LEONHARD. HVTTERVS (aa) data opera exposuit. Atque superioris quidem aeui Theologi, multum sane his concinnandis otii impenderunt. Sed nemini tamen suasor sim, qui istud institutum, ea qua veteres ratione, consequa-

(z) In *polyhistore, tom. I, part. I, lib. III, cap. XIII, par. 33, p. 708*

(aa) In *consilio de studio theologico recte inchoando, feliciterque continuando*, obs. VI, p. 348, seq.

sequatur: quod vsus, qui inde ad nos redit, maior esse videtur, quam re ipsa est. Bene autem qui consulere memoriae volet, eum in modum compangi Theologiae compendium curet, vt suppetant folia, quibus nihil inscriptum sit: iisque, si quae aut legerit, aut audiuerit digna notatu, illinat; vel libros saltem in quibus sunt reperiunda excitet

X

MORALIS Theologia post dogmaticam est pertractanda; non vero ordine inuerso: quod omnia morum praecepta ex dogmaticis pendent, suntque repetenda. Atque, vt ab intellectu conuersio ad voluntatem emendandam procedit, (Act. XXVI, 18,) et nemo potest desiderare quid, ante quam cognouerit quale sit: ita in addiscenda etiam Theologia expedit ante comprehendisse dogmata animo, quam vitae emendandae praeceptionibus, quae inde fluunt addiscendis, animum intendas. Iam aliquanto moralis Theologiae historiam age perlustremus. Patres, Apostolorum more, moralia vbique dogmaticis adsperserunt: nonnulli etiam in his, quaedam Theologiae moralis capita ex instituto prosequuti sunt; veluti AMBROSIVS *tres libros de officiis ministrorum*; CHRYSOSTOMVS *sex de sacerdotio*, rel. dederunt. Sed nemo

mo est eorum, qui singula Theologiae moralis capita iunctim tradiderit. Pergamus nunc ad mysticos. Mystica Theologia, vnde mysticis est nomen, duplicis omnino generis est: pura nempe, quae nihil aliud est quam ipsa Theologia moralis; quo etiam sensu ascetica scripta mystica vocare licet; ac inquinata. qua summa ἀπάθεια, his, qui sibi ad summam perfectionem videntur peruenisse, attribuitur. Ac huius origo, ex inconsiderata Philosophiae Platonicae cum doctrina Christiana commistione, repetenda est. In primis antiquissimisque mysticis scriptis est *Theologia mystica* quae DIONYSII Areopagitae nomen praeter rem praefert. Scholia in eam dedit MAXIMVS Constantinopolitanus, saeculo septimo. Nono saeculo IOANNES ERIGENA, qui et SCOTVS dictus fuit, istud scriptum in Latinum sermonem fudit; eoque effecit, vt in occidentali ecclesia Theologiae mysticae πλατωνίζωντος studium multis se probauerit. Inprimis autem hanc exornarunt HVGO et RICHARDVS DE S. VICTORE scholastici. Saeculo decimo tertio in orientali ecclesia GEORGIVS PACHYMERES paraphrasin in Pseudo-DIONYSIVM conscripsit: in occidentali vero BONAVENTVRA et ALBERTVS magnus scholastici; quin ipse THOMAS DE AQVINO, prin-

princeps scholasticorum, mysticos libros composuerunt. Sed nullum est in his mysticis scriptis, quod systema Theologiae moralis sit, aut dici possit. Meri etiam, vt ita dicam, et puri scholastici, de morali Theologia quaedam scripserunt; veluti DVRANDVS DE S. PORCIANO, IO. BACONVS, IO. GERSON, alii. Enimuero etiam in horum libris ordo lucidus, qui est systematis, desideratur. Postea PHILIPPVS MELANCHTHON scribens locos theologicos in capitibus de libero arbitrio, de lege, de peccato eiusque fructibus, de fide, spe, ac caritate, praecipua Theologiae moralis capita tradidit. in quo CHEMNITIVS etiam, et alii multi, qui systemata composuerunt, MELANCHTHONA sequuti sunt. Deinde separatim, et ordine etiam congruo ac ad decalogum attemperato, de Theologia morali exposuit IOANNES GERHARDVS in *schola pietatis*, cuius nouissima editio euulgata est Ienae cIↃ IↃ cc VIIII. Disciplinae autem in morem primus Theologiam moralem pertractare instituit GEORGIVS CALIXTVS (bb). Iam in

(bb) Fusius Theologiae moralis historiam enarrauit GERHARDVS THEODORVS MEIER, in *introductione in vniuersum Theologiae moralis, cum dogmaticae tum pragmaticae studium*, Helmstadii cIↃ IↃ c LXXI

in ipsa Theologia morali addiscenda, idem fere, quod de dogmatica perdiscenda dixi, seruandum. Expetendae autem morali in Theologia probationes ex sacris vnice scripturis depromptae; vt intelligi eo melius possit, quid morum apud Philosophos doctrinam et Theologiam moralem intersit. In compendiis Theologiae moralis, vt ad haec transeam, commendanda sunt, GEORGII CALIXTI *epitomes Theologiae moralis pars prima, vna cum digressione de arte noua* contra BARTHOLDVM NIHVSIVM, Helmstadii cIↃ IↃC LXII. qui tamen liber nunquam consummatus fuit. IO. CONR. DVRRII *compendium Theologiae moralis*, Altorfii cura MICHAEL. LANGII cIↃ IↃC XCVIII: IO. GVIL. BAIERI *compendium Theologiae moralis*, cum supplementis IO. MICH. LANGII cIↃ IↃCC III: IO. ANDR. SCHMIDII *compendium Theologiae moralis*. quod annotationibus, ac dissertatione de *triplici ratione Theologiam moralem docendi* auctum, edidit ROMANVS TELLER cIↃ IↃCC XLVII: IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS saltem aliquod *specimen Theologiae moralis*, Rostochii cIↃ IↃC XC euulgauit: IO. WOLFG. IAEGERI *Theologia moralis, seu practica synoptice tractata*, Tubingae cIↃ IↃCC-

XIIII:

XIIII: CHRISTIANI KORTHOLDI *Theologia moralis synoptice tractata*, Hafniae cIↃ IↃ cc XVII: IO. GEORG. WALCHII *Einleitung in die Christliche Moral*, Ienae cIↃ IↃ cc LVII: MART. CHLADENII *institutiones Theologiae moralis, regulis et obseruationibus luculentissimis instructae*, cum praefatione WERNSDORFII, Wittebergae cIↃ IↃ cc XXVI: SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Unterricht vom rechtmäßigen Verhalten eines Christen, oder theologische Moral*, Halae cIↃ IↃ cc LVI. qui liber Wolfiana est methodo scriptus: IO. AVG. BERTLINGII *de officiis et virtutibus Christianorum libri tres, siue Theologiae moralis elementa*, cum praefatione WOLFII, Halae cIↃ IↃ cc LIII; et FRID. ANDR. WALTHERI *Forderungen der Vernunft und des Glaubens an das menschliche Geschlecht*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc LIII. In maioribus Theologiae moralis libris praecipui videntur esse hi: IO. FRANCISCI BVDDEI *institutiones Theologiae moralis*, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXXVIIII. qui etiam liber egregius Teutonica lingua ibidem cIↃ IↃ cc XXVIII prodiit: IO. IAC. RAMBACHII *Moraltheologie, oder Christliche Sittenlehre*, cum praefatione IOACH. LANGII Francofurti cIↃ IↃ cc XXXVIII: EBERH. CHRISTOPHORI CANZII *Unterricht von den Pflichten der*

der Christen, oder theologische Moral, Berolini cIↃ-IↃ CC XLVIIII: P. HANSENII *Christliche Sittenlehre*, Lubecae cIↃ IↃ CC L. Nihil autem praestantius esse ac plenius potest IO. LAVRENTII MOSHEMII systemate, quod inscripsit: *Sittenlehre der heiligen Schrift* cuius iam quinque exstant tomi, editi Helmstadii cIↃ IↃ CC LII. Breui autem istud opus ad finem adducet CHRISTIAN. ERNEST. WINDHEIM (cc). Ceterum S. V. Abbas SEIDELIVS iam in eo est, vt systema Theologiae moralis Brunsuigae typis exscribi curet. Suppetunt etiam Reformatorum libri de doctrina morali, quos et ipsos legisse iuuabit: VT BENEDICTI PICTETI *morale Crêtienne, ou l'art de bien vivre*. Geneuae cIↃ IↃ CXCVI; cuius conuersionem Theotiscam IO. FRID. BACHSTROHM Lipsiae cIↃ IↃ CC XXVIII dedit: ac IOANNIS LAPLACETTE *nouveaux essais de morale*; qui liber lingua vernacula a GODOFR. CHRIST. LENTNERO interpretatus, cum praefatione

STOL-

(cc) Plures scriptores dederunt PFAFFIVS *introd. in hist. Theol. liter. part. I, p. 268, seq.* GOTTL. STOLLIVS *in der Anleitung zur Historie der theologischen Gelartheit, cap. V, p. 468, seq.* LILIENTHAL *in der theologischen Bibliothec. I, p. 421, 429, 490, seq.* rel.

STOLLII Ienae cIↃ IↃcc XXVIII prodiit. Inter Pontificiorum de Theologia morali scriptis eminet, BERNHARDI LAMY *demonstration ou preves evidentes de la verité et de la sainteté de la morale Crêtienne.* Conuersio eius Theotisca Lipsiae cIↃ IↃcc XXXVII euulgata est; et quidem hunc praeferens indicem: BERNHARD LAMY *vernunftmäßiger und überzeugender Beweis von der Wahrheit und Heiligkeit der christlichen Sittenlehre, aus dem Französischen übersetzt, und mit nöthigen Anmerkungen; wie auch einer besondern Einleitung herausgegeben von CARL CHRISTIAN RESTEL.* Iam si Theologiae moralis systema penitus animo imbiberis, *ascetica* etiam quaedam scripta legere poteris; vt HIERONYMI WELLERI *antidotum aduersus tentationes omnis generis, quibus piae mentes exerceri solent*, rel. IOANNEM vero ARNDTIVM non omnino commendauerim: licet enim in eo multa bona sint ac egregia, multa tamen etiam, praesertim in libro tertio, notanda veniunt. Strinxit contra ARNDTIVM pennam LVCAS OSIANDER anno cIↃ IↃc. XXI. Minime autem contemnenda sunt HENRICI MVLLERI *himmlischer Liebeskuß: geistliche Erquickstunden*, rel. CHRISTIANI SCRIVERII *Seelenschatz*, et eiusdem *zufällige Andachten.* Poterunt etiam legi PHILIPPI IACOBI

EI SPENERI scripta ascetica; in quibus sunt ipsius *evangelische Lebenspflichten und Glaubenstrost: kleinere geistreiche Schriften: von der Natur und Gnade*, rel. In recentioribus asceticis scriptionibus potissimum se commendant AMAD. CREVTZBERGII *gottselige Betrachtungen auf alle Tage des Jahrs, worinnen sich eine andächtige Seele erquicket und tröstet*, Norimbergae cIↃ IↃccXLVIII; vna cum aliis eiusdem scriptionibus. Sunt etiam nonnulli, qui putent aliis praeferri oportere CAROLVM HENRICVM BOGATZKY, qui composuit, *tägliches Hausbuch der Kinder Gottes*, Halae cIↃ IↃccL, et alia etiam quae huc spectant scripta

XI

PERTRACTATA thetica ac morali Theologia, ad hermeneuticae sacrae studium incumbendum erit; ac suscipienda lectio assidua omnium librorum canonicorum. Minime enim existimandum, quod multi videntur velle, non nisi ea scripturae oracula ad Theologum pertinere, quae in theticis adhiberi assolent et excitari. quem nuper errorem refellit IO. PETR. REVSCH, in praefatione ad FRID. SAM. ZICKLERI librum, in quo scripturae loca, quae in dogmatica vsurpantur, interpretatus est:

sed Theologi est omnia scripturae effata dextre interpretari posse. Iam ecclesiae Patres multum exegeticam Theologiam coluerunt, vt exegetica eorum scripta testantur. Inprimis totus in scripturae interpretatione fuit ORIGENES; vtpote cuius opuscula in omnem scripturam triplicia fuisse HIERONYMVS refert. Sed iam supra obseruaui, eum allegoriis deditum fuisse. Ipse etiam HIERONYMVS eo nomine hic laudandus est, quod optimis ad scripturae interpretationem adiumentis vsus est. quibus complures alii ex Patribus destituti fuerunt. Vt multi autem Patrum in scriptura interpretanda occupati fuere; nemo tamen eorum institutionem exegeticae Theologiae, eiusque aliquod systema videtur dedisse: nisi huc referre voles AVGVSTINI libros IIII *de doctrina Christiana.* Interim tamen complures eorum regulas, monita ac obseruationes hermeneuticas passim adsperserunt. Ab septimo autem inde saeculo in exegesi frigidiora plerumque allata sunt: quod interpretes destituti essent adminiculis hermeneuticis. Interim tamen saeculo decimo NICOLAVS DE LYRA Normannus *postillas perpetuas* seu *breuia commentaria in vniuersa Biblia* libris LXXXV dedit. qui haut vulgarem eruditionem sapiunt. Meliorem in modum exegetica Theologia culta est, post reformationem

nem effectui datam. quo etiam tempore coepta est ordine congruo et systematice exponi. Est autem ea addiscenda ex breuissimo compendio. In eo autem applicanda ita versandum, vt contenta subinde libri quem legis et analysin, qualis GODOFR. OLEARII *analysis Logica epistolae ad Hebraeos* (dd) est, acrioribus intueare oculis, vt, quo inter se omnia modo cohaereant intelligas. Scopus est communis, proprius, singularis et maxime singularis inuestigandus: subiectum et quae obiecta verbis sint respicienda: videndum, quae ad tacitas hominum cogitationes et obiectiones pertineant: voces et loquutiones considerandae, rel. id est literae est et literalis sensus eruendus: item sensus mysticus, qui non proxime per verba, sed personas et res ab sancto intenditur spiritu. Neque tamen ille vbique quaerendus, sed his demum in locis, quibus eum ex spiritus sancti intentione obtinere constat. quae ipsa etiam in Hermeneutica praecipiuntur. Ordiendum autem in scripturae lectu ab hisloricis sacrae scripturae libris: dein ad poeticos pergendum et propheticos. In omni vero scripturae inter-

(dd) Recusa est illa dissertatio, quam BERNHARDVS ELSING defendit, Lipsiae cIↃ IↃ cc X

pretatione COCCEII et GROTII naeui ac errores, veluti scopuli sunt euitandi. Ceterum monitum quemque velim, vt ne preces, si se amet, in legendis sacris libris intermittat: sed subinde cogitet, diuinam sancti spiritus vim cum verbi diuini virtute, ita semper arcte coniunctam esse; vt vnum inde ἀποτέλεσμα emergat. Multi autem sunt inter Lutheranos, qui de Hermeneutica exposuerint. In minoribus eorum libris sunt hi: AVGVSTI PFEIFFERI *thesaurus Hermeneuticus*, Lipsiae cIↃ IↃ CCXXVI: IO. ANDREAE SCHMIDII *compendium Theologiae exegeticae*, Helmstadii cIↃIↃ CC XI: MART. GOTTL. LOESCHERI *breuiarium Theologiae exegeticae*, Wittebergae cIↃ IↃ CC XVIIII: E. M. CHLADENII *institutiones Theologiae exegeticae, regulis instructae exemplisque adornatae*, Wittebergae cIↃ IↃ CC XL: IOACH. LANGII *Hermeneutica sacra*, Halae cIↃ IↃ CC XXXIII: SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Unterricht von Auslegung der heiligen Schrift*, Halae cIↃ IↃ CC XLV: IO. IAC. RAMBACHII *institutiones hermeneuticae sacrae*, cum praefatione BVDDEI, Ienae cIↃ IↃ CC LII; eiusque *exercitationes hermeneuticae, siue pars altera institutionum hermeneuticarum*, Bremae cIↃIↃ CC LI. quae hermeneutica multis est nominibus commendanda. Pergo ad libros hermeneuti-

neuticae maiores. Ac in his primum sibi locum depoſcit MATTHIAE FLACII *clauis ſcripturae ſacrae* ex recenſione THEOD. SVICERI, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc XVIIII. Conſtat ille liber partibus duabus, in quarum prima voces et phraſes ſcripturae ordine alphabetico explicantur: altera varios tractatus hermeneuticos comprehendit. Conſequitur WOLFGANGI FRANZII *tractatus theologicus nouus et perſpicuus, de interpretatione ſacrarum ſcripturarum maxime legitima*, Wittebergae cIↃ IↃ cc VIII. SALOMONIS GLASSII *Philologia ſacra*, quae cum praefatione BVDDEI Lipſiae cIↃ IↃcc XLIII prodiit, nemo carere poteſt: primus et ſecundus libri, vniuerſe de ſtilo et ſenſu ſcripturae agunt, quibus oratio de linguae Hebraeae neceſſitate et vtilitate ſubiecta eſt: tertio et quarto Grammatica; quinto Rhetorica ſacra, pertractantur. Tandem huc ſpectat IO. IAC. RAMBACHII *ausführliche Erklärung über ſeine eigene Inſtitutiones hermeneuticae ſacrae, durch eben denſelben*, Gieſſae cIↃ IↃ cc XXXVIII. Iam dum verſaris in compendio hermeneuticae ſacrae addiſcendo, ſatis erit ea de hermeneuticae hiſtoria delibaſſe, quae ipſis in compendiis ſolent tradi. Ea autem quando fideliter didiciſti, libri erunt verſandi, in quibus ea, quae ad hiſtoriam hermeneuticae ſpectant, ex inſtitu-

to traduntur; ac in quibus de canone vtriusque instrumenti; de singulorum librorum auctoribus secundariis; tempore et loco scriptionis; de fontium puritate; de codicibus manuscriptis; editionibus scripturae, eiusque conversionibus, rel. agitur. In minoribus quae huc spectant scriptionibus sunt, AVGVSTI PFEIFFERI *critica sacra*, Dresdae cIↃ IↃ ccXXI: IO. GEORG. HAGEMANNI *historische Nachricht von den canonischen und apocryphischen Schriften des alten und neuen Testaments, als eine Einleitung, solche nützlich zu lesen*, Brunsuigae cIↃ IↃ cc XLVIII. qui vtilissimus est liber. Speciatim ad nouum testamentum pertinet, IO. DAVIDIS MICHAELIS *Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes*, Hamburgi cIↃ IↃ cc L; et FRID. WILHELM. ELLENBERGERI *Einleitung in die Bücher des neuen Testaments, in einer wissenschaftlichen Form mitgetheilet*, Halae cIↃ IↃ cc LVII. qui liber, si ab eo quod nimium est in philosophica scribendi ratione discedas, egregius esse videtur. Inter libros historiae hermeneuticae maiores praecipui sunt: S. V. IO. GOTTLOB. CARPZOVII *critica sacra veteris testamenti*, Lubecae cIↃ IↃ cc XLVIII; in cuius prima parte de textu originali; in altera de versionibus illius; et in tertia de Pseudocritica GVIL. WHISTONI agitur. Vt et

eiusdem

eiusdem *introductio in libros canonicos Bibliorum veteris testamenti*, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXI: IO. GEORGII PRITII *introductio in lectionem noui testamenti, quam vberius digessit, auxit nouasque dissertationes adiecit* C. G. HOFMANN, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXVII. Inter Reformatos ANDREAS RIVETVS *isagogen seu introductionem generalem ad scripturam sacram veteris et noui testamenti*, Lugduni Batauorum cIↃ IↃ C XXVII dedit: HVMFREDVS HODIVS *libros quatuor, de Bibliorum textibus originalibus, atque versionibus Graecis et vulgata*, conscripsit; quibus Oxonii cIↃ IↃ CC V prodierunt. Huc etiam referenda MILLII prolegomena in nouum testamentum, tres in partes diuisa. quarum prior agit de libris noui testamenti et canonis constitutione; altera historiam textus Graeci prosequitur: in tertia autem de ipsa eius editione agitur. Integer libri index est hic: *Nouum testamentum Graecum cum lectionibus variantibus manuscriptarum exemplarium, versionum, editionum, S. S. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum; et in easdem notis. Accedunt loca scripturae parallela aliaque exegetica. Praemittitur dissertatio de libris noui testamenti et canonis constitutione, et S. textus noui foederis ad nostra vsque tempora historia. studio et labore IOANNIS MILLII, S. T. P. Collectionem*

Millianam recensuit, meliori ordine disposuit, nouisque accessionibus locupletauit LVDOLPHVS KVSTERVS, Roterodami cIↃ IↃcc x. In eius tamen lectione circumspecte versandum. Tandem ANTONII BLACKWALLI *auctores sacri classici, siue critica sacra noui testamenti* videtur adducenda esse. Vertit eam ex Anglico, recensuit, variis obseruationibus locupletauit, et hermeneuticam noui foederis dogmaticam adiunxit, CHRISTOPHORVS WOLLIVS, Lipsiae cIↃ IↃcc xxxvi. In Pontificiis etiam sunt, qui eiusmodi scripta composuerint: vt PETRVS DANIEL HVETIVS, Episcopus Abrincensis, qui conscripsit *demonstrationem euangelicam ad Sereniſſimum Delphinum*, Francofurti cIↃ IↃcc xxii. in quo de singulis etiam veteris testamenti libris ex instituto agit; ac SPINOZAE, HOBBESII et PEYRERII obiectiones retundit. Sed in illo etiam libro legendo omnis est solertia adhibenda, vt ne carbones ex eo pro thesauris colligas. Est etiam in his RICHARDVS SIMON; cuius *histoire critique du vieux testament*, Parisiis cIↃ IↃc lxxviii edita est. Fuit quidem ea Parisiis oppressa: sed conuersa tamen est in Latinam linguam a NAT. ALBERTO DE VERSE; et quinta vice Roterodami cIↃ IↃc lxxxv prodiit. Suppetit eiusdem *histoire critique du nouveau*

nouveau teſtament, Pariſiis cIↃ IↃ c LXXXVIIII, et Latine cum indice; *hiſtoria critica textus noui teſtamenti*, Roterodami cIↃ IↃ c LXXXVIIII edita. In aliis SIMONII erroribus peſſimus eſt hic, quod putat, libros veteris teſtamenti eſſe tantum ex annalibus et tabulariis Iudaeorum conſtipatos; et a collegio quodam ſcribarum publicorum diuerſo tempore confectos; mutatos etiam eos eſſe interdum et interpolatos. Quae in eius hiſtoria noui teſtamenti deſideranda ſunt notauit IO. HENR. MAIVS *in repetito examine hiſtoriae criticae a* P. RICHARDO SIMONIO *vulgatae*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc VIII. IO. HENRICVS HOTTINGERVS publici iuris fecit *theſaurum philologicum, ſeu clauem ſcripturae*, in quo *de variis Bibliorum exemplaribus, fontium Hebraeorum integritate; ſcripturae accidentibus, partibus, diſtinctionibus, ſenſu et commentariis; de targumim ſeu paraphraſibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Samaritanis, Graecis, Latinis, de Kibbala, Maſora*, rel. exponitur, Tiguri cIↃ IↃ c XCVI. Inprimis hic in cenſum venit IACOBVS LE LONG, cui debetur *bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabus omnium fere ſacrae ſcripturae editionum ac verſionum, ſecundum ſeriem linguarum, quibus vulgatae ſunt, notis hiſtoricis et criticis illuſtratus, adiunctis praeſtantiſſimis codicibus manu-*

manuscriptis, Parisiis cIↃ IↃ cc viii. Expertus est iste liber limam CHRIST. FRID. BOERNERI; estque ab eo auctus variis accessionibus ac notis mactus, Lipsiae IↃ IↃ cc viii. In nonnullis etiam ex his, quos iam recensui libris, de pseudepigraphis et apocryphis libris, quaedam adferuntur: data autem opera eos legit, ac aliorum de illis opiniones ac iudicia constipavit, IO. ALBERTVS FABRICIVS *in codice pseudepigrapho veteris testamenti*, Hamburgi cIↃ IↃ cc xiii et cIↃ IↃ cc xxiii: ac in *codice apocrypho noui testamenti*, ibidem cIↃ IↃ cc xviiii. In ipsa scripturae interpretatione, speciatim ratio est habenda historiarum, ad quas scriptores sacri respiciunt. Cognoscuntur istae ex vniuersali historia; praecipue vero ex antiquitatibus. de quibus suo in loco dixi. Suppetunt tamen libri in quibus ea ex antiquitatibus congesta sunt, quae scripturae potissimum interpretandae inseruiunt. In minoribus princeps est, IACOBI LENFANTS *gründliche Vorbereitung, die Bücher neuen Testaments nützlich zu lesen, aus dem Französischen übersetzt*, Lipsiae cIↃ IↃ cc xlv. Inter maiores libros est BERNARDI LAMY Pontificii *l'introduction a l'ecriture sainte*, id est, *introductio ad scripturam sacram*, in qua *Iudaeorum origo, historia, reipublicae forma, leges, consuetudines, terra sancta,*

Hiero-

Hierosolyma, templum et reliqua describuntur, ex Latino idiomate in Gallicum translata et aucta, Lugduni Gallorum cIↃ IↃ cc viiii: ac AVG. CALMETI Pontificii *dictionarium*, Augustae Vindelicorum cIↃ IↃ cc xxviiii. Theotisca eius conuersio euulgata est Lignitii cIↃ IↃ cc li. index ita habet: *AVG. CALMETS bibliſches Wörterbuch, worinnen alles, was zur Geſchichte, Critick, Chronologie, Geographie, und zum buchſtäblichen Verſtande der heiligen Schrift gehöret, abgehandelt wird.* Sed non semper et vbique CALMETO fides est habenda. Tandem et commentarii adhibendi sunt ei, qui exegeticam Theologiam colit. Ac in plurimos scripturae libros commentati sunt LVTHERVS, BRENTIVS, SCHMIDIVS; in omnes vero ABRAHAMVS CALOVIVS in *Bibliis illustratis*. Recentiores inter scripturae commentarios est CHRISTOPHORI STARCKENII *synopsis bibliothecae exegeticae in vetus testamentum*; i. e. *kurzer Auszug der gründlichſten und nutzbarſten Auslegungen über alle Bücher altes Teſtaments*, partibus V, Lipsiae cIↃ IↃ cC xlv vsque cIↃ IↃ cc l: ac eiusdem *synopsis in nouum testamentum*, partibus VI, ibidem cIↃ IↃ cc xlv et cIↃ IↃ cc xlvi. Longe praestantissimus est scripturae commentarius: *Die heilige Schrift des alten und neuen Teſtaments, nebſt einer vollſtändigen Erklärung derſelben,*

selben, welche aus den auserlesensten Anmerkungen verschiedener engländischen Schriftsteller zusammengetragen. cuius partem primam, quae prodiit cIↃ IↃ cc XLVIIII, et partem secundam, quae euulgata est cIↃ IↃ cc L, ROMANVS TELLER adornauit. Pars III edita est cIↃ IↃ cc LII; pars IIII, cIↃ IↃ cc LIII; pars V, cIↃ IↃ cc LIIII: pars VI, cIↃ IↃ cc LV; pars VII, cIↃ IↃ cc LVI. quas omnes IO. AVGVSTIN. DIETELMAIR dedit; estque iis ventum vsque ad canticum canticorum. Partem duodecimam, qua commentarius in MATTHAEVM et MARCVM continetur, IACOBVS BRVCKER comparavit anno cIↃ IↃ cc LVII. In nouum Testamentum optime commentatus est IO. CHRIST. WOLFIVS in *curis philologicis et criticis in totum nouum testamentum*, tomis IIII, Hamburgi cIↃ IↃ cc XXX vsque cIↃ IↃ cc XLI. Multorum noui testamenti librorum succinctam explicationem dedit, C. A. HEVMANNVS *in der Erklärung des neuen Testaments*, Hannouerae cIↃ IↃ cc XLVIIII vsque cIↃ IↃ cc LIII. *Biblia critica*, quae Anglis debentur, multorum interpretationes continent. Prodierunt ea primum Londini cIↃ IↃ c LX: sed flamma plurima eorum exempla corripuit. GÜRTLERVS eadem edidit ita, vt ea, quae ante constabant tomis VIIII in septem redegerit. Denuo autem VIIII tomis,

Amste-

Amstelodami cIↃ IↃC XCVIIII edita sunt. Ex Bibliis autem istis MATTHIAS POLVS maximam partem concinnauit *Synopsin Criticorum aliorumque sacrae scripturae interpretum*. quae Londini cIↃ IↃC LXVIIII, et Vltraiecti, ex recensione IOANNIS LEVSDENII cIↃ IↃC XLVIIII, prodiit. Nouum testamentum paraphrasi et annotationibus, ipsa in custodia, prosequutus est HENRICVS HAMMOND Reformatus. cuius librum *ex Anglica lingua in Latinam translatam, suisque animaduersionibus illustrauit* IOANNES CLERICVS, Francofurti cIↃ IↃCC XIIII. Hic etiam commemorandae videntur esse IOANNIS LIGHTFOOTI *horae Hebraicae et Talmudicae, in quatuor Euangelistas, in acta Apostolorum, in capita quaedam epistolae PAVLLI ad Romanos, et in epistolam primam ad Corinthios*, quae habentur in posteriori tomo operum LIGHTFOOTI, Roterodami cIↃ IↃC LXXXVI editorum. Separatim eas dedit IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS. Est autem LIGHTFOOTVS totus in eo, vt Talmudem et Rabbinos ad scripturae noui testamenti interpretationem transferat. Inter Arminianos scripturae interpretes praeter CLERICVM, HVGO GROTIVS eminet. Nempe *annotationes* conscripsit *in vetus et nouum testamentum*, quae exstant in eius operibus Amstelodami

dami cIↃ IↃ c LXXVIIII editis; sunt quae etiam maximam partem CALOVII *Bibliis illustratis* insertae *Annotationes* eius *in nouum testamentum*, recensuit quoque ac edidit CHRIST. ERNST. WINDHEIM, Erlangae cIↃ IↃ CC LV. Inter Pontificios commentatores est GVILIELMVS ESTIVS. in cuius *annotationibus in praecipua ac difficiliora scripturae loca*, Moguntiae cIↃ-IↃ C LXVII editis, multa se bona ac vtilia offerunt. Praecipuus tamen est, AVGVSTVS CALMET, cui debetur *commentaire literal sur tous les livres de l'ancien et du nouveau testament*, Parisiis cIↃ IↃ CC VII vsque cIↃ IↃ CC XVI. Iam ad cognoscendum eos auctores, qui in quemque scripturae librum, caput, ac versum commentati sunt, magnopere faciet MICHAELIS LILIENTHALII *bibliſcher Archiuarius des alten Testaments*, Regiomonte cIↃ IↃ CC XLVI: et eiusdem *bibliſcher Archiuarius des neuen Testaments*, ibidem cIↃ IↃ CC XLV. Optimae autem dissertationes exegeticae exhibentur in *thesauro nouo theologico, siue sylloge dissertationum exegeticarum ad selectiora et insigniora veteris et noui instrumenti loca, cum indicibus* THEODORI HASSAEI *et* CONRADI IKENII. qui liber prodiit Lugduni Batauorum et Amstelodami cIↃ IↃ CC XXXII

XII

THEOLOGIAM *polemicam* addiscere, de necessitate omnino est, quum hodie Athei et Naturalistae, instar phalangis impetum in Dei ciuitatem capiant: nec desint qui errores defendant. PAVLLVS etiam Apostolus diserte ἐπισκόπῳ ait esse, ἐλέγχειν τὸς ἀντιλέγοντας (ee), vt obuiam ire secus sentientibus possit. Iam in ipsis scripturis polemica adsunt; veluti in IOBI libro; ac CHRISTVS et Apostoli veritatem euangelicam aduersus contra dicentes propugnarunt. Patres etiam multum in polemicis versati sunt: iam enim cum Iudaeis; iam cum deastricolis; iam cum haereticis ipsis in arenam discendendum fuit. Quare eorum scripta magnam partem polemica sunt. Nec alii defuerunt, qui ante reformationem polemica quaedam scripta proposuerint. Eis autem, quae reformationem consequuta sunt temporibus, alii in dogmatica Theologia propositis thesibus subiecerunt antitheses, id est obiectiones aduersariorum, easque diluerunt: quemadmodum CHEMNITIVS, GERHARDVS, HVLSEMANNVS, CALOVIVS, QVENSTEDIVS, SCHERZERVS, ac

(ee) *Tit. I, 9.*

ac alii fecerunt. Alii obiectiones et argumenta quibus eae conuelluntur, peculiares in libros congesserunt: vnde Theologia polemica eam est faciem, qua hodie conspicitur, nacta. Iam quum eodem sit quo dogmatica modo pertractanda, statim ad recensendos quosdam Theologiae polemicae scriptores transeam. Minores polemicae libri praecipui hi fere sunt: VALENTINI ALBERTI *interesse praecipuarum Religionum Christianarum in omnibus articulis deductum*, Lipsiae cIↃ IↃ CC VII: IO. OLEARII *synopsis controuersiarum selectiorum cum hodiernis Pontificiis, Caluinianis, Sociniſtis, Remonſtrantibus, Fanaticis, Cocceianis et Carteſianis, Graecis, Iudaeis, Antiſcripturariis* Lipsiae cIↃ IↃ CC X: IO. ANDR. SCHMIDII *breuiarium Theologiae polemicae, exhibens praecipuas controuersias cum Pontificiis, Reformatis et Socinianis*, quod FRID. ANDR. ZVLICHIVS, addita *admonitione*, edidit Ienae cIↃ IↃ CC XLVII: IO. FRANCISCI BVDDEI *delineatio commentationis de veritate religionis euangelicae, prout Lutherana eam profitetur eccleſia*, Ienae cIↃ IↃ CC XXVIIII. prodiit eadem lingua Theotisca, cum praefatione IO. GEORG. WALCHII, ibidem cIↃ IↃ CC L: SIG. IAC. BAVMGARTENII *kurzer Begriff der theologiſchen Streitigkeiten*, quem libellum edidit, IO. PHIL. CHRIST. BASTO, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ CC L:

cIↃ IↃ cc L: IO. GEORGII WALCHII *Einleitung in die polemiſche Gottesgelartheit*, Ienae cIↃ IↃ cc LII: CHRIST. MATTH. PFAFFII *Plan von Grundfragen über die Theologiam polemicam; oder die Religionsſtreitigkeiten*, Tubingae cIↃ IↃ cc LII. Pergo ad libros polemicae maiores. Huc ſpectant, CONRADI SCHLVSSELBVRGII *haereticorum catalogus*; cuius tomus I Francofurti cIↃ IↃ c VII, et tomus II ibidem cIↃ IↃ c VIIII prodierunt: FRIDEM. BECHMANNI *Theologia polemica*, cum praefatione IO. FRANC. BVDDEI Ienae cIↃ IↃ cc X: ZACHARIAE GRAPII *Theologia recens controuerſa abſoluta*, Roſtochii cIↃ IↃ cc XII: IO. FABRICII *conſideratio variarum controverſiarum, videlicet earum, quae nobis intercedunt cum Atheis, Gentilibus, Iudaeis, Mahomedanis, Socinianis, Anabaptiſtis, Pontificiis et Reformatis* Helmſtadii cIↃ IↃ cc IIII. quae in hoc libro de Pontificiis et Reformatis agunt auctiora prodierunt Helmſtadii cIↃ IↃ cc XV. Eſt autem ille liber caute verſandus, quod auctor ſyncretiſmo indulſit. Conſummatum opus eſt, IO. GEORG. WALCHII *Einleitung in die Religionsſtreitigkeiten der euangeliſch lutheriſchen Kirche, desgleichen in die auſſer derſelben*, decem partibus, Ienae cIↃ IↃ cc XXXIII vſque cIↃ IↃ cc XXXVIIII: IO. PETRI REVSCHII *Theologia polemica*, cuius

ius prima pars edita est Ienae cIↃ IↃ CC LIIII: IO. ERNESTI SCHVBERTI *institutiones Theologiae polemicae*. quarum iam partes III, Ienae cIↃ IↃ CC LVI, seq. prodierunt. Praemisit illis vir S. V. *dissertationem prooemialem de Theologiae polemicae natura, fatis et necessitate.* In Reformatorum libris polemicis sunt: IO. HORNBECKII *summa controuersiarum religionis cum infidelibus, haereticis et schismaticis*, Francofurti cIↃ IↃ C XCVII: FRIDERICI SPANHEMII *elenchus controuersiarum de religione cum dissidentibus hodie Christianis, prolixe et cum Iudaeis, historico-theologicus*, Basileae cIↃ IↃ CC XVIIII: BENEDICTI PICTETI *syllabus controuersiarum*, Geneuae cIↃ IↃ C C XI. Theotisca in lingua prodiit cIↃ IↃ CC XXX: IO. FRID. STAPFERI *institutiones polemicae vniuersae, ordine scientifico propositae*, quinque tomis Tiguri cIↃ IↃ CC XLIII. qui liber omni cum accuratione scriptus est. In Pontificiorum scriptis de polemica est ROBERTI BELLARMINI opus *de controuersiis Christianae fidei aduersus huius temporis haereticos*, Ingolstadii cIↃ IↃ C I: MART. BECANI *manuale controuersiarum huius temporis*, Patauiae cIↃ IↃ CC XVIIII: CAIETANI FELICIS VERANI *Theologia polemica*, Augustae Vindelicorum cIↃ IↃ CC XVIII. Reliquos polemicae scriptores BVDDEVS, STOLLIVS,

GVND-

GVNDLINGIVS, WALCHIVS, et alii habent. Quum autem hodie praecipue cum illis agendum sit, qui veritatem religionis Christianae in dubium vocant: inprimis erunt legendi hi, qui de eius veritate contra aduersarios asserenda et defendenda exposuerunt: vt inter nostrates SAM. CHRISTIANVS HOLLMANN *in dem überzeugenden Vortrage von Gott und der Schrift, mit nöthigen Anmerkungen erläutert*, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXXIII: inter Reformatos IAC. ABBADIE. cuius *traité de la verité de la religion Chrétienne*, Roterodami cIↃ IↃ c LXXXV prodiit. Habetur etiam eius libri conuersio Theotisca edita Lipsiae cIↃ IↃ cc XLVIII. Item HVMFREDVS DITTON *in der Wahrheit der Christlichen Religion, aus der Auferstehung IESV CHRISTI auf eine demonstrativische Art bewiesen.* quae conuersio cum praefatione MOSHEMII euulgata est Brunsuigae cIↃ IↃ cc XLVIIII; et THOMAS SCHERLOCK *in dem gerichtlichen Verhör der Zeugen der Auferstehung IESV.* cuius interpretationis auctor est IO. ADAMVS SCHIER, prodiitque Lipsiae cIↃ IↃ cc LI. Suppetunt etiam eius libri accessiones conuersae Zellae cIↃ IↃ cc LIIII. In Arminianis HVGO GROTIVS librum praestantissimum *de veritate religionis Christianae* composuit. qui editus est Lipsiae cIↃ IↃ cc XXVI. Atheis

potissimum refutandis inseruiet *die geoffenbarte Deisterey.* cuius libri auctor est SCELTON Anglus; estque lingua Germanica editus Brunsuigae cIↃ IↃcc LIIII. Inprimis autem huc faciet RADVLPHI CVDWORTHI liber quem inscripsit: *The true intellectual system of the universe.* cuius Latina conuersio MOSHEMIO debetur, qui eam Ienae cIↃ IↃcc XXXIII euulgauit; et quidem cum indice hoc: *Systema intellectuale huius vniuersi; seu de veris naturae originibus commentarii, quibus omnis eorum Philosophia qui Deum esse negant, funditus euertitur.* Plura eiusmodi scripta cognoscere poteris ex IO. ALBERTI FABRICII *delectu argumentorum et syllabo scriptorum de veritate religionis Christianae aduersus Atheos et alios haereticos*, Hamburgi cIↃ IↃcc XXIII excuso

VIII

EST etiam cognoscenda *ecclesiae historia*; quae, quod magnam partem ipsa in scriptura continetur, etiam partem quandam Theologiae constituit. Ac multos omnino vsus eius cognitio, praecipue in exegeticis et polemicis, habet. Ex ea etiam inhorrescit larga exemplorum seges, quibus demonstrari potest, Deo subinde ecclesiam curae fuisse; et quae faciunt ad reficiendum animos eorum, qui multa mala perpetiuntur.

tiuntur. Iam, si ab ipsa scriptura recedas, FLAVIVS IOSEPHVS, ex Essaeo Pharisaeus, primus est, qui de historia ecclesiae exposuerit: nempe in libris septem de bello Iudaico, et in ἀρχαιολογίας, siue antiquitatum Iudaicarum libris viginti, in quibus historiam ecclesiae Iudaicae vsque ad annum XCIII post CHRISTVM natum prosequutus est. Inter ecclesiae Patres, alii hinc inde historica quaedam adsperserunt; alii ecclesiae fata ex instituto tradiderunt: veluti IVLIVS AFRICANVS, qui tertio saeculo vixit. ex cuius tamen scriptis nihil iam superat nisi vna epistola et quaedam fragmenta; EVSEBIVS historiam ecclesiae dedit, quae vel hodie supérat; SOCRATES item SOZOMENVS, SVLPITIVS SEVERVS, quem CHRIST. SCHOTANVS notis illustrauit, et alii. In compendiis, quibus veteris aeque ac noui testamenti historia continetur, praecipua sunt, quae iam insequuntur: CHRISTIANI IVNCKERI, *Grundlegung zur Kirchenhistorie altes und neuen Testaments, bis auf gegenwärtiges Jahr* cIↃ IↃcc x. Hamburgi cIↃ IↃcc x: *compendium historiae ecclesiasticae Gothanum*. cuius scribendi auctor fuit ERNESTVS Princeps: ac primam quidem eius partem, quae Gothae cIↃ IↃc LXVI prodiit, VIT. LVDOV. DE SECKENDORF: alteram, quae

edita est anno cIↃ IↃcc LXX IO. CHRISTOPH. ARTOPAEVS, curante BOECLERO, concinnarunt. In editione huius compendii, quae cIↃ IↃcc XXIII Gothae susceptа est; adiecta est tertia pars, siue *liber tertius*. in quo ERNESTVS SALOMON CYPRIANVS, iussu FERDINANDI secundi Principis Saxo Gothani, historiam ecclesiae a pace inde Westphalica vsque ad id, quo scripsit tempus, prosequutus est. Ac hoc est longe praestantissimum historiae ecclesiasticae compendium. CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIVS perscripsit *compendium historiae ecclesiasticae recentissimae, vt compendio historiae ecclesiasticae Gothano supplemento sit*, Gothae cIↃ IↃcc LVII. Habetur porro IOACHIMI LANGII *historia ecclesiastica a mundo condito vsque ad saeculum a CHRISTO nato praesens, seu decimum octauum deducta*, Halae cIↃ IↃcc XXIII: IO. ANDR. SCHMIDII *compendium historiae ecclesiasticae veteris et noui testamenti*, tres partes cum supplemento IOECHERI, Lipsiae cIↃ IↃcc XXXVIIII. Speciatim veteris testamenti historiae compendium dedit IO. CHRISTIANVS LANGIVS *in der Grundlegung zu einer realen Kirchenhistorie des alten Testaments*, Lipsiae cIↃ IↃcc XVII. In historiae noui testamenti compendiis est: ADAMI RECHENBERGII *summarium*

marium historiae ecclesiasticae, Wittebergae cIↃ-IↃ CC XLVIII: CHRISTOPHORI MATTH. PFAFFII *institutiones historiae ecclesiasticae, iuxta ordinem saeculorum breuissimo penicillo delineatae*, Tubingae cIↃ IↃ CC XXVII: CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII *historia ecclesiastica*, quam ex manuscriptis eius edidit GODOFREDVS WAGENER, Wittebergae cIↃ IↃ CC-XLIIII: IO. LAVR. MOSHEMII *institutionum historiae christianae compendium*, Helmstadii cIↃ IↃ CC LII: SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *breuiarium historiae ecclesiasticae*, Halae cIↃ IↃ CC LIIII. Deuenio iam ad libros historiae ecclesiasticae maiores. Iam, quod ad veteris testamenti historiam attinet, instar omnium est IO. FRANCISCI BVDDEI *historia ecclesiastica veteris testamenti*, Halae cIↃ IↃ CC-XXVI et cIↃ IↃ CC XXVIIII edita. Qua nouum testamentum primo in censum veniunt, *historiae ecclesiasticae per aliquot studiosos et pios viros in vrbe Magdeburgica, centuriae XIII*, Basileae apud OPORINVM, ab anno inde cIↃ-IↃ LVIIII vsque cIↃ IↃ LXXIIII. vbi etiam recusae sunt cIↃ IↃ CC XXIIII. Composuit eas MATTHIAS FLACIVS Illyricus, vna cum IO. WIGANDO, MATTHAEO IVDICI, BASILIO FABRO, ANDREA CORVINO et THOMA HOLTHVTHERO; ac in com-

pendium eas redegit LVCAS OSIANDER. quod editum est Tubingae cIↃ IↃ XCII vsque cIↃ IↃ C XIII. Iam nunc earum editio noua paratur: estque voluminis primi inscriptio haec: *Centuriae Magdeburgenses de historia ecclesiastica noui testamenti, cum variorum Theologorum continuationibus ad haec nostra tempora, quas excipient supplementa emendationum defensionum illustrationumque ad priores centurias XIII quorum curam suscipiet qui praefationes etiam singulis voluminibus addet* SIGISMVNDVS IACOBVS BAVMGARTEN, Norimbergae cIↃ IↃ CCLVII. Optandum vero, vt ne mors S. V. BAVMGARTENII obstet, quo minus ista editio cum accretione, quam quisque desiderat, ad finem perducatur. Vtilis etiam liber est CHRISTIANI KORTHOLTI *historia ecclesiastica noui testamenti*, Lipsiae cIↃ IↃ CCVIII. GODOFR. ARNOLDI *unpartheyische Kirchen- und Ketzerhistorie vom Anfange des neuen Testaments bis auf das XVIIte Jahrhundert*, tribus voluminibus anno cIↃ IↃ CC XL edita, circumspecte versanda est: quod ARNOLDVS subinde haereticorum patronum egit. Vnde etiam THOMASIVS, qui eam ante quam typis exprimeretur legit, suasor ARNOLDO extitit, vt ne patiatur in lucem eam prodire. Consequitur CHRIST. EBERH. WEISMANNI

NI *introductio in memorabilia ecclesiastica historiae sacrae noui testamenti*, Halae cIↃ IↃ cc XLV. In primis varia vtilitate se commendant IO. LAVR. MOSHEMII *institutiones historiae ecclesiasticae antiquae et recentioris libri quatuor ex ipsis fontibus insigniter emendati; plurimis accessionibus locupletati, variis obseruationibus illustrati*, Helmstadii cIↃ IↃ cc LV; ac SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Auszug der Kirchengeschichte, von der Geburt JESU*, Halae cIↃ IↃ cc XLVI. In historiae ecclesiasticae scriptoribus Reformatis est IO. HENRICVS HOTTINGER in *historia ecclesiastica*. quae nouem constat tomis, Tiguri vsque cIↃ IↃ c LXVII editis; et ad nouum saltem testamentum spectat: FRIDERICVS SPANHEMIVS F. in *summa historiae ecclesiasticae a CHRISTO nato ad saeculum XVI inchoatum. cui praemittitur doctrina temporum, cum oratione de Christianismo degenere*, Lugduni Batauorum cIↃ IↃ c LXXXVIIII. Plenius ea habetur in primo tomo operum ipsius, quae prodierunt Lugduni Batauorum cIↃ IↃ cc I. Pontificiorum etiam quaedam scripta historiae ecclesiasticae commemoranda erunt. Sunt in his praecipua, R. P. NATALIS ALEXANDRI *historia ecclesiastica veteris nouique testamenti, ab orbe condito ad annum post CHRISTVM natum millesimum sexcentesimum: et in loca eiusdem*

insignia

insignia dissertationes historicae, chronologicae, criticae, dogmaticae, Venetiis cIↃ IↃ cc xxx: LVDOVICI ELLIES DV PIN *compendium historiae ecclesiasticae*. cuius conuersio ad modum hunc inscripta est: *Begriff der ganzen Kirchenhistorie vom Anfange der Welt bis auf jetzige Zeit*, Ratisbonae cIↃ IↃ cc xviii. Succedant CAESARIS BARONII *annales ecclesiastici*, Antwerpiae cIↃ IↃ c lxxv, ex officina Plantiniana. Suscepit istud opus auctore PHILIPPO NERIO. quem hodie in sanctis colit ecclesia Romana; ac eo quidem animo, quo centurias Magdeburgenses, de quibus antea dixi, impugnaret, earumque auctoritatem eleuaret. Aduersus ipsos autem BARONII annales insurrexit ISAACVS CASAVBONVS in *exercitationibus XVI de rebus sacris et ecclesiasticis*, Geneuae cIↃ IↃ c liii. in quibus tamen saltem *prolegomena* BARONII *in annales et primam eorum partem, de IESV CHRISTI natiuitate, vita, passione et assumtione* perstrinxit. Notarunt etiam plurima in his IO. HENRICVS OTTIVS, ANTONIVS PAGI, aliique. Ceterum, in his qui BARONII annales in epitomen redegerunt, eosque continuarunt, princeps HENRICVS SPONDANVS. *Histoire ecclesiastique par Mr. FLEVRY*, viginti constat voluminibus, quae Parisiis cIↃ IↃ c xci vsque

cIↃ IↃ cc-

cIↃ IↃ CC XX prodierunt. FABER eam continuauit voluminibus octo. Est etiam eius conversio molita, hanc praeferens inscriptionem: CLAVDII FLEVRI *allgemeine Kirchengeschichte des neuen Testaments*, cuius ab anno inde cIↃ IↃ CC LII vsque cIↃ IↃ CC LVII Francofurti prodierunt partes quinque (ff). Sunt autem quaedam historiae ecclesiasticae partes et epochae plenius quam aliae cognoscendae: nempe primorum saeculorum historia. quo facient IO. LAVR. MOSHEMII *institutiones historiae Christianae maiores*. quarum saeculum primum Helmstadii cIↃ IↃ CC XXXVIIII typis exscriptum est: ac eiusdem *commentarii de rebus Christianorum ante* CONSTANTINVM *magnum* Helmstadii cIↃ IↃ CC LIII. Ante omnia vero penitus cognoscenda est reformationis historia. quo potissimum spectat VITI LVDOVICI A SECKENDORF *commentarius historicus et apologeticus de Lutheranismo siue de reformatione religionis*, Lipsiae cIↃ IↃC XCIIII. Deinde

(ff) Plures scriptores recensent CASPAR SAGITTARIVS in *introductione in historiam ecclesiasticam, cap. XV, seq. p. 223, seq.* THOMAS ITTIGIVS in *praefatione ad selecta capita historiae ecclesiasticae, saec. I, par. XLII, seq. p. 56, seq.* GOTTL. STOLLIVS *in der Anleit. zur Histor. der Theol. Gelartheit, cap. III, p. 169, seq.*

de isti etiam scriptores legendi sunt, qui sacrae cum profana historia conuenientiam demonstrarunt: vt HVMFREDI PRIDEAVX Angli *altes und neues Testament in eine Connexion mit der Juden und benachbarten Völkerhistorie gebracht: vom Verfall der Reiche Israel und Juda, bis auf CHRISTI Himmelfahrt*, Dresdae cIↃ IↃ ccxxi. cuius conuersionis auctor est AVGVST. TITEL. Quae autem omisit HVMFREDVS PRIDEAVX, SAMVEL SCHVCKFORD magnam partem suffecit *in der Harmonie der heiligen und Profanscribenten in den Geschichten der Welt, von der Schöpfung an bis zum Untergange der Assyrischen Monarchie nach dem Tode SARDANAPALS, und bis zum Verfall der Königreiche Juda und Israel unter der Regierung AHATZ und PEKAH*, Berolini cIↃ IↃccxxxi et cIↃIↃccxxxviii. quam conuersionem dedit THEOD. ARNOLD

XIIII

IAM ventum est ad eas Theologiae partes, quae ad subeundum dextre munus ecclesiae spectant. in quibus primum locum occupat *Theologia pastoralis*; qua praecipitur, quemadmodum ille qui Euangelio seruit, munus officii singulis in rebus exsequi et tueri debeat. Sunt qui ad eam ius quoque ecclesiasticum, Theologiam

giam casuasticam et homileticam referant. quae tamen malim ab ea separare. Iam vt in ipsa scriptura, ita apud Patres etiam ecclesiae, quaedam reperiuntur, quae ad Theologiam pastoralem spectent. Reformatione autem suscepta, praecipua huius Theologiae capita in articulo *de ministerio* et in morali etiam Theologia proposita sunt. CONRADVS PORTA primus videtur fuisse qui peculiari in libro de ea egerit. Ex ipsis autem LVTHERI scriptis eum concinnauit; estque recentissimae eius editionis index hic: *Pastorale LVTHERI, oder Unterricht von den fürnehmsten Stücken des heiligen Ministerii, mit Noten herausgegeben von J. C. CRAMERN*, Ienae cIↃ IↃ cc XXVIIII. quo ex libro, si quis hanc Theologiae partem addiscere volet, optime sibi consulet. Sunt autem in compendiis Theologiae pastoralis etiam IO. MICHAELIS LANGII *institutiones Pastorales*, Halae cIↃ IↃ cc VII: IO. FECHTII *instructio pastoralis* edita a GVST. FRID. FECHTIO Rostochii cIↃ IↃ cc XLVI: SALOMONIS DEYLINGII *institutiones prudentiae pastoralis*, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXXVIIII. quibus etiam ius ecclesiasticum comprehenditur: SIG. IAC. BAVMGARTENII *casuistische Pastoraltheologie, erläutert und herausgegeben von JOH. FRIEDR. HESSELBERG*, Halae cIↃ IↃ cc LII, ac viri S. V.

CHRIST.

CHRIST. TIMOTH. SEIDELII *Pastoraltheologie*, Helmstadii cIↃ IↃ cc LVII. Maioribus in libris aliis antehabendi sunt: IO. LVD. HARTMANNI *Pastorale euangelicum sive instructio plenior ministrorum verbi, libris IIII pastoris personam, vitam, spartam et fortunam sistens*, cum additamentis HERENSCHMIDII, Norimbergae cIↃ IↃ cc XXII. cui addere poteris AVG. HERM. FRANCKII *collegium pastorale über HARTMANNI pastorale euangelicum*, Halae cIↃ IↃ cc XLI: atque GODOFREDI OLEARII *collegium pastorale, oder Anleitung zur Christlichen Seelencur*, Lipsiae cIↃ IↃ cc XVIII. Iuuabit etiam legisse PETRI ROQVES *Gestalt eines Euangelischen Lehrers*, Halae cIↃ IↃ cc XLI vsque cIↃ IↃ cc XLIII. quae libri Gallice scripti conuersio FRID. EBERH. RAMBACHIO debetur. Pergam nunc ad *Theologiam casuisticam*, quam et conscientiariam dicunt, qua demonstratur, vt his qui in aliquo fidei aut morum capite haesitant vel titubant, succurrendum sit. Ac est omnino eius, qui capessit munus ecclesiasticum fideliter eam didicisse: quod multi dubiis discruciantur. Quantumuis autem multa casuistica in scripturis et apud Patres occurrant; primi tamen scholastici data opera de ea egerunt; sed siniſtre admodum. Inter nostrates vero CHRISTOPHORVS PEZELIVS primus

primus casuisticam ex MELANCHTHONE depromtam dedit. In compendiis Theologiae casuisticae est CASPARI FINCKII *Sylloge quaestionum illustrium theologicarum*, quae tribus constat sectionibus, Coburgi cIↃ IↃ c XXXI et cIↃ IↃ c XXXII editis: ac ANDREAE PRVCKNERI *manuale mille quaestionum illustrium theologicarum*, Norimbergae cIↃ IↃ c LXXVIIII. Inter maiores casuisticae Theologiae libros primum locum occupant FRIDERICI BALDVINI *libri IIII de casibus conscientiae*, Lipsiae cIↃ IↃ c LXXXIIII: GEORGII KOENIGII *casus conscientiae, qui in sex capitibus doctrinae catecheticae, vna cum tabula oeconomica subinde solent occurrere, eruti et fideliter decisi*, Altorfii cIↃ IↃ c LXXVI: IO. ANDREAE OSIANDRI *Theologia casualis, in qua quaestiones, dubia et casus conscientiae circa credenda et agenda enucleantur*, sex partibus Tubingae ab cIↃ IↃ c LXXX vsque cIↃ IↃ c LXXXII. Huc etiam videntur referri posse, *consilia theologica Wittebergensia*, abs tempore Reformationis vsque ad annum cIↃ-IↃ c LXIIII, Francofurti ad Moenum edita cIↃ IↃ c LXIIII: PHILIPPI IACOBI SPENERI *theologische Bedenken und andere briefliche Antworten*, Halae cIↃ IↃ cc XII, seq. eiusdem *consilia et iudicia theologica Latina*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃ cc VIIII; ac eius *letzte*

theologiſche Bedenken: *nebſt einer Vorrede des Herrn von* CANSTEINS, Halae cIↃ IↃ cc xx; et SIG. IAC. BAVMGARTENII *theologiſche Bedenken*; quod opus ſeptem partibus conſtat, editis Halae cIↃ IↃ cc XLIIII vſque cIↃ-IↃ cc L. continuationis vice ſunt eiuſdem *theologiſche Gutachten*, Halae cIↃ IↃ cc LIII et cIↃ-IↃ cc VII. Inter Reformatos vnum WILHELMVM PERKINSIVM, practicorum Anglorum HOMERVM, nominaſſe ſufficiat: dedit ille *aureas caſuum conſcientiae deciſiones*. quarum tranſlatio inſcripta eſt, *Gewiſſensſpiegel*, Francofurti cIↃ IↃ c xc. Idem etiam ſcripſit *Anatomiam ſacram humanae conſcientiae*. Pontificios in caſuiſticis legere minime ſuaſerim. Conſequitur nunc *Iuriſprudentia eccleſiaſtica*. quae quantumuis potiſſimum ad Iureconſultos videatur pertinere: tamen etiam Theologi eſt eam cognoſcere. inprimis ſi aliquem in Conſiſtorio quodam locum obtinere volet. *Initio quidem veteris eccleſiae*, vt BVDDEI (gg) verba referam, *Chriſtianos non aliam fidei vitaeque habuiſſe regulam, quam ſcripturam ſacram, non eſt quod dubitemus. Quum vero deinde dubia quaedam, aut de doctrina, aut de diſciplina eccleſiaſtica occurrerent; factum eſt, vt ad ea tollenda eccleſiae doctores*

(gg) *Iſagoge lib. poſt. cap. V, par. III, p. 750*

res inter se vniti, decreta conderent, quibus obscuriora illustrarent; aut quae in scriptura sacra generatim dicta erant, ad certos casus applicarent; aut quae diserte in scriptura sacra non continebantur, et e re tamen ecclesiae esse videbantur definirent. Ac ea eorum decreta, quae ad disciplinam Christianam spectabant, *canones* dicta sunt. Hinc *canones Apostolorum* enati: *repraesentant* enim, vt SCHILTERO videtur, *epitomen quasi veterum conciliorum per tria prima saecula habitorum* (hh). neque adeo ab Apostolis conditi sunt. Deinceps et aliae canonum collectiones confectae sunt: in quibus est STEPHANI, Ephesini Episcopi, *codex canonum*; qui postea auctus est: eundem DIONYSIVS exiguus, Abbas Romanus, e Graeco in Latinum sermonem transtulit; adiecitque Pontificum decreta ab SIRICIO vsque ad HORMISDAM: ISIDORI cuiusdam collectio, in qua veterum codex fictis epistolis decretalibus Pontificum interpolatus est, quo ea adiuuaretur hierarchia, quam tum adspirabant Pontifices: GRATIANI *decretum*, siue concordia discordantium

(hh) In *institutionibus iuris canonici, lib. I, tit. II, par. IIII, p. 11.* vbi etiam obseruat, *constitutiones Apostolicas* CLEMENTIS nomine suppositas Constantinopoli reiectas esse

tium canonum: *decretales* iussu GREGORII VIIII collectae. quae vna cum *decreto* GRATIANI comprehenduntur *corpore Iuris canonici* GREGORII XIII *Pontif. max. auctoritate in duo tomos diuiso.* Accedunt tamen illis, *liber* etiam *sextus*, *Clementina* et *extrauagantia.* Optima eius editio est IVSTI HENNINGII BOEHMERI, qui illud *cum codicibus veteribus manuscriptis aliisque editionibus contulit: varias lectiones adiecit et notis illustrauit*, Halae cIↃ IↃCC XLVII. Iam ex his facile intelligetur, istas collectiones quibus corpus iuris canonici continetur, potissimum ad Romanae ecclesiae vsum attemperatas esse; potestatemque Pontificis summam respicere. quam, licet minime agnoscamus, tamen illud corpus in foro adhuc et Academiis apud nostrates vsurpatur. Neque tamen *vi promulgationis*, *sed quatenus vsus fori ecclesiastici*, *aut etiam ciuilis est*, illud recipiunt. Quicquid autem Pontifices post reformatam ecclesiam statuerunt, penitus nostrates repudiant. Volunt etiam in applicandis eis, quae in corpore iuris canonici praecipiuntur *media* incedi *via* (ii). In principiis iurisprudentiae cognoscen-

(ii) Vid. IVSTI HENNINGII BOEHMERI *dissertationem praeliminarem* ad SCHILTERI *institutiones, de media via in studio et applicatione Iuris canonici inter Protestantes tenenda*

scendae, minime vnum corpus iuris canonici habent: sed primum praecipuumque eius principium constituunt sacram scripturam. quo etiam potissimum respectu ad Theologiam pertinet. Consequuntur etiam *recessus imperii*, *pacificationes religiosas*, ordinationes ecclesiasticas, rel. In compendiis Iurisprudentiae ecclesiasticae praestantissimis sunt IO. SCHILTERI *institutiones iuris canonici ad ecclesiae veteris et hodiernae statum accommodatae*, cum praefatione BOEHMERI, Francofurti cIↃ IↃ cc XXVIII: IO. GEORG. PERTSCHII *elementa Iuris canonici et protestantium ecclesiastici*, Ienae cIↃ IↃ cc XLI. In maioribus libris habentur, BENEDICTI CARPZOVII *Iurisprudentia ecclesiastica siue consistorialis*, cum additionibus BAYERI, Lipsiae cIↃ IↃ cc XXI; et IVSTI HENN. BOEHMERI *ius ecclesiasticum Protestantium*, tomis V, *cum iure parochiali*, Halae cIↃ IↃ cc XXXVIII. In Reformatis IO. ARNOLD. CORVINVS A BELDERN, qui deinceps ad Pontificiorum castra transiit, *ius canonicum per aphorismos* scripsit. illustrauit istud notis BOEHMERVS Halae cIↃ IↃ cc XVII. Inter Pontificiorum scripta praecipue huc spectant, IO. PAVLLI LANCELOTTI *institutiones iuris canonici*, cum annotationibus THOMASII, tomis IIII, Halae cIↃ IↃ cc XVII

XV

HOMILETICA Theologia ostendit, quo modo fidei et morum dogmata pro concione proponenda sint. Iam si CHRISTI et Apostolorum sermones spectemus, *sane nullo artificio*, vt iam PFAFFII (kk) vtar verbis, *turgent. Dictio hic mascula et simplex regnat. Omnia pro re nata enarrantur. Non vnico saltem argumento inhiatur; sed plures veritates in vnum funduntur, prout id auditorum requirebat status.* Atque haec etiam concionandi ratio se Christianis probauit; vsque dum ecclesiae Patres in homiliis integros scripturae libros interpretari coeperunt. Octauo saeculo PAVLLVS DIACONVS, auctore CAROLO magno pericopas euangelicas et epistolicas legit; iisque subiecit homilias ex AMBROSII, AVGVSTINI, HIERONYMI, rel. scriptis desumtas, vt *post illa*, quae ex sacris literis recitata erant verba, populo praelegerentur. Vnde eiusmodi homiliae *postillae* sunt conuocatae. Sed iam tum prisca illa et veneranda simplicitas aliquanto neglecta fuit; ac Patres multi ascititiis elegantiis et formatae dictioni nimium tribuerunt.

(kk) In *introductione ad hist. Theol. liter. part. III, lib. V, par. IIII, p. 358*

buerunt. Scholasticorum aeuo dicendi ratio philosophica in homiliis etiam vsurpata est. Quid? quod multi, praecipue saeculo XV, sensa etiam Stagiritae, doctrinae caelestis loco, in homiliis proposuerunt. LVTHERVS autem homileticam etiam Theologiam repurgauit; ac eum in modum verbi diuini praeconium fecit, vt multo plurimi ad meliorem frugem se receperint. Solebat ille in homiliis textum sine omni eruditionis ostentatione interpretari; ac eum ad aedificationem transferre. Ac eum EVGENHAGIVS potissimum et BRENTIVS sequuti sunt; eiusque heroicam methodum vsurparunt. Omnino autem LVTHERVM optimum fuisse verbi diuini praeconem demonstratum est in scripto huius indicis: *D. MARTIN LVTHER der beste Prediger, den alamodischen und so genannten galanten Predigern entgegen gesetzt von A. M. P. M* Francofurti cIↃ-IↃcc XXII. In ipsa homiletica Theologia addiscenda vsurpes compendium quam breuissimum. Necessum enim non est, praeceptiones plurimas nosse; sed paucas easque probatas in interpretando publice res diuinas, dextre adhibere posse. Iam quid sit in homiliis quoue modo adferendum, ex fine homiliarum et condicione auditorum perspicitur. Habentur autem conciones eum propter finem, quo intellectus

auditorum cognitione diuinarum rerum imbuatur; ac eorum voluntas emendetur. Auditores vero ipsi maximam partem rudes sunt literarum. Qui itaque res attulerit, quae maxime appositae sunt, ad erudiendum in Christianismo populum, eiusque animos commouendos et flectendos; et qui eas ita proposuerit, vt capi ab omnibus ac intelligi possint: ille optimas homilias habuisse censendus est. Id autem quo fiat I) res et argumenta ex sacris literis repetenda erunt: quod illae vnum sunt diuinioris doctrinae cognoscendae principium; estque ea verbi Dei *ratio, vt si praedicetur et audiatur, concursu spiritus sancti excitet actus supernaturales.* quae sunt BECHMANNI verba. Neque tamen improbandum, si quis ex naturali etiam Theologia quaedam pro concione adduxerit, ad ostendendum, vt insigne Dei beneficium sit, quum nos reuelatione donauit. quoniam naturalis Theologia ad salutem consectandam iam non sufficit: aut ad demonstrandum, quemadmodum sacra scriptura id, quod sana ratio de Deo cognoscit, confirmat, ac plenius proponit, rel. si modo parce id fiat: nec propterea ea quae reuelationis sunt negligantur. Si vero quis philosophicas meditationes et dissertationes attulerit, et in homiliis Philosophiae egerit doctorem: nae ille in eum incidet Philoso-

losophiae abusum, quem supra notaui. II) Quum autem apud nostrates homiliae ad pericopas euangelicas et epistolicas referendae sint: in homiliis de eiusmodi themate agendum est; quod aut comprehendat praecipua textus contenta; aut ex quibusdam textus verbis fluat; quodue ad eum interpretandum faciat. Sunt etiam eius probationes singulae ex textu eruendae; ac deinde aliis scripturae locis confirmandae. Minime itaque probandi, qui in homiliis, textus, quem praelegerunt, nullum fere rationem habent; et ex eo non nisi occasionem quandam, de aliquo argumento theologico agendi, repetunt. Produnt enim hi, se parum esse in Theologia exegetica versatos: siquidem textus cuiusque exegesis iusta, largam materiarum segetem suppeditat. III) Omnis tractatio ad aedificationem transferenda est; vt flexanima quaeuis homilia sit: crebris admonitionibus et hortamentis vtendum: interdum etiam oratio ad redarguendum comparanda est. vbi tamen spinosa vt euites suaserim: eis enim odium quidem auditorum excitatur: sed parum emendantur. IIII) Controuersias in sacris rostris excutere velle, minime consultum est: nisi forte quis error eos ad quos loqueris tenet: rudiores enim ista non capiunt; sed potius his turbantur. V) Qua modum sacras

orationes habendi, opera est adhibenda vt partite dicas. Itaque in partitione textus et vniuerse in meditando, regulae Logices adhibendae erunt. VI) Puritas linguae in dicendo consectanda est. VII) Stilus ad eum attemperandus est, qui in sacris literis obtinet. Neque enim vlla dicendi ratio conuenientior esse potest rebus diuinis populo proponendis; quam ea, qua sacri amanuenses, Dei spiritu φερόμενοι, vsi sunt. Iuuabit itaque phrases subinde biblicas vsurpasse: vtpote quae cognitae plurimis sunt, et ad intelligendum faciles: sed cauendum, vt ne alia ipsis significatio attribuatur; quam quae ipsis, in locis vnde arcessitae sunt, subiecta est. Magnae quoque vtilitatis erit, loquutiones minoris LVTHERI catechismi, et insigniores loquutiones ex praestantissimis hymnis sibi familiares reddidisse: quod etiam hae plerisque notae sunt. VIII) Est etiam quibusdam elegantiis, de quibus Oratoria praecipit, in homiliis locus: nempe iis, quae perspicuitati inseruiunt, qua rudiores minime officiunt: est vero modus in his adspergendis habendus. VIIII) Contra ea fugienda omnia quae vnius scholae sunt: ea enim nemo penetrare potest; nisi qui in scholis versatus sit. Itaque non committendum, vt ea ratione fidei et morum dogmata in homiliis proponas; quemadmodum recte

recte fit in systematibus: sed ita vt rudiores etiam ea percipere possint. Inprimis vero termini Theologorum, qui ἔνγραφοι non sunt, qua id fieri potest, euitandi erunt. Neque Dialecticorum dicendi rationem stilumue philosophicum in homiliis adhibere poteris: eo enim illi qui Dialectici non sunt, nec Philosophi; et pro quibus tamen et ipsis CHRISTVS mortuus est, confunduntur. X) Fugiendum inconstans dicendi genus, vt ne oratio iam teres sit, plena solertiae ac expedita; iam ieiuna exilis et eneruata. XI) Cauendum, vt ne verbis vtare, quae poterant arrogantiae esse videri, rel. Etiam autem atque etiam monitum quemque velim, vt ne eo anno, quo academiam accessit, de rebus diuinis ad populum dicat. Inde enim quod id plerumque fit, homiletica plurimum damni tulit. Nam, quum primo anno non nisi Philosophica et ad summum Theologia thetica aliquanto addiscantur: non potest ille, qui isto anno praeconium facit, aliud quid proponere; quam quod ad Philosophiam pertinet; aut dogmatica continetur: nec potest etiam alio quam philosophico stilo, qui in auditionibus istis vsurpari solet, vti. Ac quoniam, quo quis prima vice modo concionem habuit, eum deinceps seruet perpetuo, euenit, vt multas nunc homilias exaudiamus,

quae

quae potius praelectiones philosophico-theticae, quam homiliae dicendae essent; et in quibus aedificationis rudiorum nulla fere ratio habeatur. Itaque noli quaeso ante ad populum verba facere, quam vna cum thetica moralem etiam, exegeticam ac homileticam Theologiam didiceris; et legeris etiam quasdam veterum pariter ac recentiorum, homilias. Noli etiam homilias comparare ad ostendendum quantum in Theologia profeceris; eo enim efficies, vt parum inde proficere rudiores possint: quo autem magis eruditionem in homiliis dissimulaueris, eo erunt insigniores: plurimusque inde vsus ad rudiores redundabit. Denique adiiciendum erit, vt nunc sunt tempora, monitum hoc: preces nec quando meditaris, nec quando habes sacram orationem, omittendas esse. Recensеam nunc quaedam homileticae compendia. Atque MELANCHTHON iam *rationem breuem sacrarum concionum tractandarum* scripsit. Commendandi autem potissimum in vetustis libris, AEGIDII HVNNII *methodus concionandi, praeceptis et exemplis dominicalium quorundam Euangeliorum comprehensa*, Wittebergae cIↃ IↃ c LVIIII. Intulit ille primus inter nostros thema explicitum in homileticam; estque analyticam cum BRENTIO methodum consectatus. IO. HVLSEMANNI *methodus concio-*

concionandi, quae vna cum aliis scriptionibus edita est Wittebergae cIↃ IↃ cXXXV: IO. BENEDICTI CARPZOVII *hodogeticum, siue tirocinium artis concionatoriae*, Lipsiae cIↃ IↃ cLXXXVIIII: VAL. ERNESTI LOESCHERI *breuiarium homileticum*, Francofurti cIↃ IↃ cc XXXI: FR. AD. HALLBAVERI *nöthiger Unterricht zur Klugheit, erbaulich zu predigen*, Ienae cIↃ IↃ cc XLVII. qui insignis omnino et tersus liber est: S. V. IO. ERNESTI SCHVBERTI *Anweisung zur geistlichen Beredsamkeit*, Ienae cIↃ IↃ cc L: SIG. IAC. BAVMGARTENII *Anweisung zum erbaulichen Predigen*, Francofurti cIↃ IↃ cc LII: ADAMI STRVENSEE *Anweisung zum erbaulichen Predigen*, Halae cIↃ IↃ cc LVI. Libri homiletici maiores apud nostrates non suppetunt. Ex Reformatorum libris, commendandus IOANNIS WILKINSII *ecclesiastes*; quem HENRICVS ITTERHAGEN in linguam Teutonicam transtulit, ediditque Lipsiae cIↃ IↃ cc XVIII. Fecit autem ei indicem hunc: *Gelehrter Predigercandidat.* Erunt etiam insigniores quaedam homiliae adducendae. Ac ego quidem in his, si abs quibusdam stili naeuis recedas, habuerim: MARTINI LVTHERI *vollständige Kirchenpostille*, cum praefatione WALCHII, Halae cIↃ IↃ cc XXXVII; eiusdemque *Hauspostille*,

ſtille, ibidem cIↃ IↃ cc XXXVIII: IO. BRENTII *Kirchenpoſtille*, Tubingae cIↃ IↃ LXXXVII; HENRICI MVLLERI *euangeliſche Schlußkette und Kraftkern*, Francofurti ad Moenum cIↃ IↃC LXXXV; ac CHRISTIANI SCRIVERII *Theognoſtia euangelico-Chriſtiana, oder das lebendige und thätige Erkenntniß Gottes aus den ordentlichen Sonn- und Feſttagseuangelien*; quam ex manuſcriptis SCRIVERII eius gener IO. HENR. HAVECKER edidit Norimbergae cIↃ IↃ C XCII. Quae ſcripta ſi quis reiicere propter veruſtatem volet; eum rogauerim, vt ante tamen quam ea damnet, vnam ſaltem in ſingulis paginam legat: puto enim neminem, qui ea inſpexerit, eadem repudiaturum. In recentiorum homiliis principes ſunt, IO. LAVR. MOSHEMII *heilige Reden über wichtige Wahrheiten der Lehre IESV CHRISTI*, partibus VII, Hamburgi cIↃ IↃ cc XLVIIII: Summe Venerandi Abbatis IO. FRID. IERVSALEMI *Sammlung einiger Predigten*, partibus II, Brunſuigae cIↃ IↃ cc LII, quae homiliae in Gallicum etiam idioma tranſlatae ſunt; et IO. CHRISTOPH. CRAMERI *Sammlung einiger Predigten*, cuius iam ſex partes Hafniae prodierunt. Inter Anglorum homilias legiſſe iuuabit IO. TILLOTSONII *auserleſene Predigten*

ten aus dem Englischen übersetzt durch IO. M. DARNMANN, cum praefatione MOSHEMII, octo partibus Helmstadii cIↃ IↃ cc xxxviii (ll). Ceterum non desunt etiam qui varias dispositiones homiliarum dederint; vt IO. CHRIST. LEHMANN *in dem euangelischen Predigerschatz*, Budissae cIↃ IↃ cc xxi vsque cIↃ IↃ cc xxxvii: SIGISM. IAC. BAVMGARTEN *in dem Entwurf verschiedener homiletischen Zergliederungen, oder Dispositionen von Predigten über alle Sonn- und Festtägliche Euangelia*, Halae cIↃ IↃ cc liiii: inprimis S. V. CHRIST. TIMOTHEVS SEIDEL *in den exegetischen und homiletischen Abhandlungen über die Sonn- und Festtagseuangelien*, Halae cIↃ IↃ cc liiii vsque cIↃ IↃ cc lvi; atque *in den Abhandlungen über die Sonn- und Festtagsepisteln*, Halae cIↃ IↃ cc liii, seq.

XVI

In *Theologia Catechetica*, cui nomen est ἀπὸ τῦ κατηχεῖν (mm), ab instituendo, ostenditur

(ll) Multo plurimos homiliarum scriptores recensuit GOTTL. STOLLE *in der Anleitung zur Hist. der theol. Gelartheit, cap. VIII, p. 789, seq.*

(mm) De huius vocis significatione IO. GEORG. WALCHIVS in *miscell. sacr. lib. III exercit. VI, par. VII, p. 683*; et quem ille excitauit SVICERVS, data opera expoſuerunt

ditur modus et ratio τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ (nn), id est praecipua Christianismi dogmata, breuiter et per quaestiones et responsiones proponendi: estque ea vtilis valde et necessaria: quod eadem rudioribus et iunioribus, quorum sunt plurimi, consulitur; ac efficitur, vt etiam hi idonei sint ad ἀπολογίαν, quando quis rationem spei quae in ipsis est, ab illis exigat (oo). Atque catechetica docendi ratio iam a Patribus vsurpata est apud hos, qui sacro erant fonte abluendi. Primus catechismus CYRILLO, Episcopo Hierosolymitano debetur: scripsit enim *catecheses XVIII*, et quinque catecheticas orationes mystagogicas. Deinceps AVRELIVS etiam AVGVSTINVS peculiarem *de catechizandis rudibus* librum composuit. Scholasticis autem caput exserentibus, parum ea culta est. Iam apud nos, vt melior eius condicio sit, LVTHERO potissimum debetur: qui maiorem dedit et minorem catechismos, de quibus supra dixi. In ipsa autem institutione catechetica explicandae sunt et quaestiones et responsiones: ac ipsis quaestionibus variis modis conuertendis ac aliis verbis proponendis explorandum est, num penitus

(nn) *Hebr. V*, 12 (oo) *1 Petr. III*, 15.

nitus intelligant iuniores, rudioresue quae respondent. In libris de catechetica Theologia hos habe: PHIL. IAC. SPENERI *Catechismustabellen*, auctae ab IO. GEORG. PRITIO, cIↃ IↃ CC XXXIII: eiusdem *Gedanken von der Catechismusinformation, aus des sel. Mannes Schriften und Bedenken gezogen*, Halae cIↃ IↃ CC XV: IO. IAC. RAMBACHII *wohlunterrichteter Catechet*, Lipsiae cIↃ IↃ CC XXXVIII: S. V. CHRIST. TIMOTHEI SEIDELII *in der Erfahrung gegründete Anweisung, welches die wahre Methode zu catechisiren sey*, Helmstadii cIↃ IↃ CC LVII. Multum etiam in Theologia catechetica proficere poteris ex SIGISM. IAC. BAVMGARTENII *Erläuterung des kleinen Catechismi D. MARTIN LUTHERS*, Halae cIↃ IↃ CC XLVIIII; et ex S. V. CHRIST. TIMOTH. SEIDELII *Ordnung des Heils, nach einer catechetischen Methode Lehrenden und Lernenden zum Gebrauche*, tribus partibus, Halae cIↃ IↃ CC LIIII vsque cIↃ IↃ CC LVI

VITIA TYPOGRAPHICA

quae praeter spem opinionemque irrepserunt sequenti modo corrigenda sunt:

Pag.	4.	lin.	25.	pro nouo lege	*octauo*
-	11.	-	5.	lege	*reperisse*
-	24.	-	12.	-	*vollständigen*
-	44.	-	13.	-	*eum*
-	58.	-	18.	-	*qua*
-	66.	-	12.	-	*futura*
-	68.	-	19.	-	*oblinere*
-	68.	lin.	vlt.	-	*debeatur*
-	70.	in Nota lin.		penult. lege	ἐνεργείᾳ ζωικῇ
-	82.	-	8.	lege	*ad*
-	90.	-	2.	-	*ad*
-	109.	-	20.	-	*Theologicae*
-	116.	lin.	penult. et vlt.	lege	*auctoritateue*
-	123.	lin.	25.	lege	*peculiarem*
-	124.	-	9.	-	*atque*
-	125.	-	1.	-	*videntur*
-	125.	in Nota lin.		6. lege	*PASCHASII*
-	134.	lin.	12.	lege	*ostenderet*
-	145.	-	19 et 20.	-	*Cyprius*
-	146.	-	17 et 18.	-	*Episcopus*
-	148.	-	23.	-	*floruit*
-	165.	-	6.	-	*qualis*
-	165.	-	22.	-	*historicis*
-	166.	-	25.	-	*exercitationes*
-	166.	-	11.	-	*Einleitung*
-	169.	-	21.	-	*manuscriptorum*

Si quaedam alia praeter allata attento lectori se offerrent, ipse ea facile corriget

ta Theologorum no-
mmenti ſui praeſidium
probanda eſt haec:
gico aut maioris aut
o poni poteſt λῆμμα
men eo aliud conſti-
ogiam reuelatam co-
num. Iam, quod in
philoſophicae in pu-
locum eſſe, id non eſt
is philoſophicis acci-
, quae abſolute neceſ-
ndunt: negat enim
eo alii, in quaeſtione
m abſolute neceſſarium
mi et cum theologica
coniungi poſſe. Ipſa
redit, vt evincatur:
eologico, in quo ali-
philoſophica obtinet;
cipium non philoſo-
hia repetendum, ſed
ſacris literis repeten-
ta ſtatim etiam dan-
dum

logicis, cap. XIIII, par.
VII, p. 456

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn185211505X/phys_0231
DFG